
DIG 896
CIMELIA
0 473
kat.komp.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0003689





473
CIMELIA

M. ADAMI ROMERII STEZICENSIS, DE INFORMANDO ORATORE LIBRI TRES.



Quod videri vis, esto, at nostra finito.

473

CRACOVIÆ
1593.

S.W. 739

Cim. O. 473

Bibl. Jag.

AMPLISSIMO ATQVE OMNI VIRTVTVM HEROICA-rum Genere celeberrimo, R. D. Stanislao Crasinski de Crassne, Archidiacono ac Officiali Generali Cracouien, Scholastico Gneznen, Custodi Plocen, Canonico Sedomirien, &c. Domino ac Patrono suo benigno, M. Adamus Romerius Stezicen. S. D.



VOTIES MIHI VENIT in mentem mirari, quid causæ sit, cur cum summos, erruditionisque nomine, ac eloquentiæ florentissimos, ferè quælibet sæcula tulerint: scriptores tamen de arte dicendi, paucos admodum omnis hominum memoria extitisse accipimus, Amplissime Vir STANISLAE CRASINSKI. Fuêre multi, dum per omnia prisca illa tempora mentem, animumque meum verto, qui grauiter sapienterque dixerunt, plures qui acutè, atque subtiliter docuerunt, multo frequentiores qui argute delectarunt: pauci tamen præcepta dicendi conseruare, posterisque literarum monumentis tradere conati sunt. Ideam cupit Cicero ex Græciæ Oratoribus, qui dicti sunt tonare, ful-

gurare, ruere impetu solutæ orationis, & tanquam fulmine quodam penetrare animos audientium, cunctaque miscere atque perturbare. Est illustre nomen L. Craßi eloquentiæ apud Romanos, M. Antonio primas quondam sæcula Romana ferebant, Hortensio libens cedit Cicero. At illi, vt & quam plurimi ex nostris, quibus rationibus ad tantam vim peruenerint: communicare aliis, monumentis literarum, cordi non habuerunt: immo illorum nonnulli pauca admodum, multi qui in lectionem aliorum, quidpiam de sua industria peruenturum, nunquam apud se statuerunt. In causis hæc mihi esse videntur, vel quod docti homines, nolint indignis prostitui suas præclaras cogitationes: nam & prisci illi sapientes, quæcunque olim veri, celeritate suæ mentis inuestigassent, tantum per manus tradi voluerunt: aut symbolis adũbrari: neque illæ res consignabantur literis, sed per succeßionem alij aliis communicabant, addito sacramento. Ferunt Pytagoreos præcepta sua scriptis non mandasse, sed memoriæ discipulorum instillasse: neque omnium, sed tantum qui digni videbantur. At si indigno alicui mulgata esset aliqua demonstratio: denunciare Deos contenderunt, magna aliqua & inusitata clade, se admissum illud scelus persecuturos. Vel quod auocabantur illi viri á scri-

ri à scribendo, dum iudicabant satis esse de rebus librorum conscriptum & editum: plerisque enim non tam in cura erat, vt sapientiam augerent, laudemque suam nouam, aliorumque iam propè senescentem, quantum possent ab hominum obliuione atque silentio vindicarent: deberi hoc à se tantis hominum ingeniis non putantes, vt cum eorum memoriam adhuc viuam tenerent, hanc immortalem conarentur, si possent reddere. Vel quod occupatiores otio scribendi priuarentur: Musæ namque secessum, Musæ otium quærunt: & nullus his est idoneus, cuius nunc huc, nunc illuc mens diuagatur: qui nunc Reipub. administrandæ, nunc vero literarum studio operam locat. Ridiculus sane videbatur Cleon, qui alterum pedem in Castris, alterum in Curia habebat. At multi eiusmodi sapientiæ amatores fuerunt, qui in tempestates maximas, & turbulentissimas: in quas & nos nunc demissi sumus, inciderunt: neque illis cupientibus, atque exoptantibus, fructus otij datus est: itaque coacti sunt relictis iis artibus, quibus à pueritia deditì fuerant, tempus omne post illam placidam & iucundam quietem, curarum fluctibus, obijcere. At sedendo & quiescendo hominis intellectus fit sapientior. Accedit huc opus arduum ac incredibile, de Oratore quicquam velle præcipere, quem

re, quem

re: quem non tam hominum institutio, quam quædam Deorum immortalium benignitas, humano generi largiri solet. Diuinum est bonum eloquentia, quam nullus nisi ab ipsis Diis deformatus, atque effictus assequi poteru: vnde enim putamus, præterquam ab ipsis Diis conferri, linguæ solutionem, vocis sonum, vires, latera, vultum, oris gestum, totiusque motum corporis? vnde mortalium generi dantur celeres animi motus, qui & ad inueniendum sint acuti, & ad retinendum firmi ac diuturni? Docebat Isocrates decem minis: verum si quispiam eum docuisset audaciam atque vocalitatem, percepisset ab eo decem millia. Nequaquam hæc munera, ex scholis, atque præceptoribus accipi possunt. Nos otium nostrum, post illum tuum sermonem, de Periodis, numerisque Oratoriis, qui mihi videbantur ex Officina Græci Hermogenis illo dierum, cum rediens è Comitiis Varsauiensibus, me Pabianice quo veneram, conseruandæ vitæ causa, appullimmus ad scribendum. Nil nos commouet iniquitas temporum, ingratitudo hominum, iuuentutis corrupti ac deprauati mores, in qua erudienda totos dies marcescimus, palloremque fructum laborum nostrorum contrahimus: Nil copia scribentium: dum multis scribentibus suum tamen cuique in suo genere honorem video tribui, con-

bui, con-

hui: consideroque non tantum modo primo, sed etiam qui secundus aut tertius metam attigisset, premia olim tributa. Laudatur Imperator Alexander, locum habet inter Imperatores Pyrrhus: celebrantur Scipiones: fert vtique in cœlum Cicero suum Pompeium. Quid dicam de professionibus, quibus in singulis, cuique magno tribuitur premium. An in Poetis Homero soli locus est, aut Archilocho, aut Sophocli, aut Pindaro: sed horum vel secundis, vel etiam infra secundos. Princeps Heroicorũ habetur Homerus, Iambographorum Archilochus, Tragicorum Zophocles, Lyricorum Pindarus: qui licet cæteris omnibus sint erectiores, tamen alij etiam leguntur, & sunt in precio. Nec vero Aristotelem Platonis deterruit à scribendo amplitudo: nec Aristoteles Theophrasti, cæterorumque studia restinxit: qui quamuis reliquis Philosophis præstent, multi tamen post eorum sæcula celeberrimi, & in suo genere sanè optimi fuêre: tantusque cuilibet tribuitur locus, vt cum summa miramur, inferiora tamen probemus. Ad extremum proponamus nobis Oratores. Num illi qui clarissimi ante Demosthenem in eloquentia floruêre: vt Themistocles, Pericles, Cleon, Tricia, Teramenes, Alcibiades, Tucidides studium Demosthenis infregerunt? Num Demosthenes quem Græcorum O-

autorem fuisse facile principem credimus, Isocratis, Demetrij Phalarei? Attamen quamuis esset Dēosthenes, multi Oratores in Græcia magni & clari fuerunt: nec ante Ciceronem deerant, nec postea defuerunt apud Latinos. Itaque ij omnes magis præbere, quam vnquā præripuisse reliquis temporibus facultatem, tum scribendi, tum dicendi videntur: Iniquum sanè est quin industria nostra languescat, dum intuemur tot scriptores qui non ineruditis monumentis, nomen suum æternitati consecrarunt, nobisque sese veluti fontes præbuerunt: iis enim ego, dum gratiam referri cupio, non omnino Opus nostrum video sublatum: nec iam cessabit posteritatis conatus, quæ semper habet quod agat: dum nullus vnquā adeo excellens visus est, nullus tam perfectus, vt ei quod desit non videretur: ea enim quæ nos scire videre videmur, si conferenda erunt cum ignoratis, minima apparebunt. Quo fit vt varia succedant temporibus ingenia, nec vnquam sit adeo sterilis ætas, quæ ex sese aliquid proferre non poßit. Quod non tantum accidisse in hominibus diuersæ ætatis constat: verum & in illis, quos idem sæculum tulerat. Inde illæ contentiones inter Philosophos, Oratores, Poetas, & aliarum scientiarum præstantißimos viros, subortæ sunt. Grauis contentio emerserat olim in Academia nostra Gorscij, cuius à morte nunc est octa-
us annus,

nus annus, cum Herbesto: quorum cum vterque magnus ingenio, inprimisq; clarus extitisset, suos validißimos impetus sustinere non potuerant. Nec est sententia reuocare illas odiosas, & acerbas æmulationes, Demadis atque Demosthenis: nec Æschini quæ ei intercesserant cum Demosthene apud Græcos, nec apud Latinos Ciceronis cum Salustio: quibus certare gloriosius quam omnino aduersarium non haberi videbatur: alter alterius cursum impediendo, imitandum potius censerem in contentionibus Ciceronem cum Hortensio: quorum alter alterum sibi præferendum putabat: pulsaque omni inuidia, hic illum, ille hunc adiuuat, & communicando, & admonendo, & fauendo Sed quid ego intueor ætatem diuersam? quid homines dispari ingenio? cum tot sapientißimos dißidentes temporibus succedentibus sibi metipsis video? Nam & Hyppocrates clarus arte Medicinæ videtur iustißimè fecisse, qui quosdam errores suos, ne posteri errarent, confessus est. Et noster Cicero, non dubitauit aliquos à se editos libros, aliis postea scriptis damnare. Etenim superuacuus fuerit in studiis labor, si nil liceret melius inuenire præteritis. Nefas est ob tantam turbam doctißimorum virorum, studia nostra depressa iacere. Primas enim sequentem honestum est in secundis, tertiisué consistere.

Nefas est nos ita cadere animis, vt honesta studia, quibus potius nutritur, quam deficit animus, augetur quam decrescit: dum nos in consilium cogitationum nostrarum desperationem, aut timorem admittimus, neglecta iaceant. Nefas est, premio maiorum nostrorum, qui amplissimo gloriæ campo spoliato, nobis spoliatum ad corradendum, si quid forté possemus: qui metebant gloriam, nobis vero solum modo culmos reliquerunt, nos perculsos atque ex omni spe deturbatos iacere: præsertim cum tantum cuique virtutis sit, quantum in animo roboris atque neruorum: & nemo reperiatur tā desperato ingēio qui si nil aliud studeat, nisi id quod agit, non possit aliquid nauare, & efficere. Hoc ego dum fugio, te Amplissime vir, nunc meis lucubrationibus insequor, & apud te nunc rationem meorum in dicendi facultate studiorum constituo. Nec vero id facio vt te qui in vario scientiarum genere tantum profeceris, vel latere quidpiam horum existimē: vel tuas virtutes à silentio, atque obliuione hominum, meis scriptis vindicem: tuæque memoriæ operam dem. Excipient anni sequentes tuas virtutes, quæ passim incredibili omnium admiratione celebrantur: tuam humanitatem, quæ in te efficit vt cum te omnes hominem eruditione, ingenio, iudicioque summum agnoscant: eruditissimorum ta-

morum tamen candidissimum admiratorem & prædicatorem, cultorem omnium bonorum, liberum apertum, facilem confiteantur. Vigebit in animis amor, quo tu amplecteris Academiam nostram, non solum in ea oblata ingenia diligenter colens, verumetiam sponte tua, sumptus faciendo prouocans. Tam diu laudabitur per nos tua virtus, dum memoria rerum nostrarum manebit: qui ea beneuolentia, eo animo munificũ protectorem, ac Patronum te nobis probas, vt nemini officium tuum in nos obscurum esse vnquam poterit. Vnde quam gratus erga nos fis, ipse existimare potes: quantum vero tibi debeamus, cæteri iudicent: nostri vero semper grato animo commemorare, atque extollere tantam animi promptitudinem studebunt. Iam vero tua oratione, quam multa scientia cumulasti, quid potest aut prudentius, aut grauius, aut ornatius esse? Tuum pectus sententiarum grauitate, & maiestate perpollitum, linguam illustrem, animum prudentem animaduertimus: audimus toties dicta ex ore tuo plena, magnifica, excelsa, vario genere scientiarum, vt ratio tui muneris flagitat comparata. Vnde in eam sententiam deuenimus, nullum esse tam illustre dignitatis genus, ad quod obtinendum, Dij immortales, non magna signa animi erga te fauorabilis dederint: & nisi con

& nisi constituisses apud te, nullum dignitatis genus tibi debere esse dulcius: vel officio, quod pauci: vel gloria, quam omnes sequuntur: & qua tu id semper agens, vt ita CHRISTI de Ecclesia, Reque pub. mereare, omni honore vt dignißimus iudicere, nõ vt prospero flatu fortunæ, ad exitus prouehare optatos, tam altè in animos hominum ascenderis, vt te quique optimi, in cœlum laudibus iure & verè ferant: tua virtus suo in ordine, iam pridem summis honoribus ornata esset. Non commemorabo hîc tua in Ecclesiam CHRISTI merita, quæ tanta à te profecta sunt, vt quæ dicenda essent, Oratione hac nostra nequaquam recenserentur. Suppeditasset mihi multam ad scribendum materiam tua pietas in Patriam, tuum studium in optimos quosque, si tantis rebus ornandis atque illustrandis ingenium meum parem Orationem afferre poßit. Velim igitur de me sic existimes, ac tibi persuadeas, non me repentina aliqua voluntate, ac fortuito ad tuam amplitudinem meis officiis amplectẽdam incidisse: sed vt primum tuæ incredibiles virtutes animum oculosque meos attigerunt, mihi consilium statim captum erat, idque præcipuè semper spectabam, vt in eorum, quos tibi deditißimos esse intelligis numerum possem peruenire: meoque studio quodcunque illud est, à tua amplitudi-

plitudine atque splendore, aliquid commendationis comparare. Leuidense quidem est quod offertur, animus tamen tibi deuotus qui offert, tuaq; æquitas munus ornabit. Nec me quicquam noni admissurum video, dum tibi hoc studium honorarium mitto, etiam si tale non est, vt in arce tua, quasi Minerua Phidiæ poni poßit: probandos siquidem semper existimârunt magni viri honesti otij fructus sibi dicatos: neque referre putârunt, in qua materia, quantumcunque vili & abiecta: modo ne turpi & obscæna. Par materiæ nostræ erat Iulij Pollucis ad Commodum Cæsarem, & nostri Charuinij non multo ante, ad te STANISlae CRASINSki de Grammaticis, Gorscij quoque nostri ad Præclauium, De Dialecticis, & eiusdem ad Padnieuium de Periodis. Multo inferior Oppiani de piscibus ad Antonium, ac Deiophanis de cultura agri, ad Deiotarum Regem. Comparanda non est Vitruuij, ad summum Orbis totius Principem Augustum, de architectura. Prudens prætereo Virgilium, qui agrorum cultu, arborum plantatione, pecoris cura, mellisque vindemia, non erubescit adorare Mecænatem suum omnium doctißimorum Patronum. Et Diis lacte rustici multæque gentes supplicant, & mola tantum salsa litant, qui non habent thura: nec vlli vnquam fuit vitio Deos colere

colere quoquo modo possit. Nec est opera subiicere Horatium, qui tot mordacibus Satyris, dum risui interim & subsannationi indulget, hunc ipsum Mecænatem immortali nomine illustrat. Nec iniuria; ea me Hercules dignitas & existimatio literarum fuit, vt eas sibi consecrari quique potentissimi, tum honestum, tum gloriosum semper esse existimârint. Hoc itaque consilio ad te cui animum meum iam forte satis probaui: Ingenium autem meum diuturni labores, certe qualecunque est, minus tamen quam vnquam erat, te passi sunt videre libros De Informando Oratore transmittere volui, & apud te eosdem iam ex Officina quam libenter liberaliterque instituendam duxisti, exeuntes constituo. Omnia hi adferunt vetera, contrita: à Cicerone enim, & Quintiliano, & aliis, tum Græcis, tum Latinis summo consensu approbatas merces promunt, abhorrent tamen à communi via eorum, qui vulgari more de arte dicendi præceperunt: inuenerunt namque sibi hi nostri iter, quo breuius, & commodius ante omnes ad Sarmatiam nostram, ex Græcia atque Latio peruenirent. Triplici fasciculo colligata sunt, quæ alij vix multis curribus aduehere potuêre Summa hic totius est Ciceronis aliorũq; compendiarium, præcepta in ordinem digesta, iuuentutis causa: Methodusque quo ad fieri potuit, vt fa-

tt, vt facilis ita absoluta. Nil hîc exhibetur quod sit extra artem, nil obscurum, nil vagabundum: ea enim cura, breuitate, perspicuitate, ad manus iuuentutis, cuius honestis studiis pium est inseruire, studium nostrum exire curauimus: vt nihil accuratius, nil breuius, nil distinctius, cum iuuenibus ad percipiendum, tum maturis ad recordãdum dare interim potuisse nos arbitremur. Tuæ igitur, Maxime vir, hũanitatis est, fauere nostris studiis, quæ conseruant humanitatem: prudentiæ, nostrum laborem, qui neque tribunatũ, neque præfecturam, neque vllius officij certum nomen, sed beneuolentiam tantummodo petit, omni tua humanitate complecti: viamque illam, quam iam diu erga nos monstrandi officij instituisti, tenere, pietatis scholas ornare: & ea quæ per quoduis aliud officij genus posses adduci, vt in quempiam grati animi testimonium conferre velis, apud eas more tuo deponere, à quibus te ornatum, hocque in sublimi ordine positum, tibi certo persuades. Iam vero isto tuo candido ac pene paterno animo nontam munusculum hoc agreste, quo te insequimur, quam testimonium animi nostri comiter accipe. Quod cũ, quæ tua est suauitas, quiq; in nostram Rempub. literariam amor feceris, vehementer gaudebo, qui hoc genus testimonij Offerre merui.

Vale decus Musarum.

DATVM CRAC. ex Collegio Minori VII. Nonas Aprilis Anno Domini 1593.



Quod commodauit Fortuna, tollet.
Quod mutuauit natura, repetet.
Quod parauit virtus, retinebis.

M. ADAMI ROMERII STE-ZICEN. DE INFORMAN-DO ORATORE.

LIBER PRIMVS.

REferentibus nobis animum, conatusq; ad eum quem inchoare, & eloquentia informare volumus Oratorem: perutile visum est fore, si honestus studiosus quibus instructum se esse oporteat accedentem ad eloquentiæ studium, horum præmoneretur: & qua via in arcem Oratorum poßit inuadere, statim præ foribus eidem consilium præfigeretur. Quippe cum multos videamus qui in Rhetoricum studium ferantur neglectis ijs, quæ in Oratore maximè requiri solent: quibus sublatis, nihil restare amplius certum est, in quo quisque magnum se existimari velit. Quo fit, vt hæc sæcula paucos in dicendo admirabiles secum ferant nobis. Neque enim malê iactis principiis, totum opus perfectum, nec ijs sublatis, reliquum stare poterit. Porro quod principium aliud dicendi facultatis existimandum censemus, quod fundamentum posita bonitate naturæ, præter scientiam rerum multarum arbitramur? Ante igitur omnia Philosophorum disputationibus exagitatum futurum oportet esse Oratorem: ex quorum spatiis extiterunt illi summi, diuinique viri ac benè in eloquendi facultate versati: Omnis enim

vbertas & quasi sylua dicendi ducta à Philosophis est. Neque enim illud probandum censuerant consilium, tametsi Philosophi essent, Plato cum Aristotele, Græcorum Sophistarum: nec omnino quoque Sapientum inter quos diuturnum erat dißidium cordis & linguæ: quorum illi tantum linguam ad dicendum informabant: hi vero cor ad sapiendum. At quis non videt vtramque partem tota via errare? cum multi docti, eo, quod deerat illis popularis eloquentia, rudes & ignari: & diserti sine eleganti doctrina pro infantibus habiti sint: Nam si Ethicen spectaueris: locus de vita, & moribus, totus perdiscendus Oratori. Quam enim potest hæc sublata Orator habere, de bonis, malis, æquis, iniquis, vtilibus, aduersis, honestis, aut turpibus facultatem, atque copiam? vndenam sumet illas sententias, quæ grauem, iucundam, probabilem illustremq́ue reddunt orationem? Quid dicam de illa parte quæ rerum naturæ abdita penetrat: quæ orationem admirabilem reddit: quæ docet quomodo quæque animorum partes sint excitandæ, vel quomodo motus mitigandi: qua Pericles ille summus Atheniensium Orator dum magnis ab Anaxagora artibus instructus, & contemplatione rerum sublimium esset captus, dictus est tonare, fulgurare, corruscare, ruere impetu orationis: quo tanquam fulmine quodam, videbatur penetrare animos audientium, cunctaq; miscere

miſcere ac perturbare? Confer etiam oculos tuos in illam diſſerendi ſubtilitatem: Num ille poterit ſine ea vera iudicare, ambigua diſtinguere, cernere quæ ſequantur quæ anteceſſerint: an Argumentum ſit, repugnãtia videre, diuidere, definire, veriſimilia ab icredibilibus diiudicare: male ſcripta vel concluſa reprehendere, & interdum latius, interdum anguſtius, exprimere, ſubtiliter & ſummo cum acumine quidpiam probare? Quid iuris ſcientiã? an non turpe erit eum defendentem bonos, accuſantem malos: ſuadentem honeſta, vtilia: diſſuadentem vero contraria, ius in quo verſetur ignorare? Cognitio Hiſtoriarum negligenda quoque non eſt: ex rerum enim bonitate oratio effloreſcat neceſſe eſt: & Hiſtoria delectat, dicendi authoritatem adfert, & ad probationem fidemque valet: quod enim exemplo fit, iure fieri habetur: Ergo vtrumque coniungendum eſt, nam & pectus Philoſophorum, & linguam Sophiſtarum doctrina expoliendam eſſe video: vt oratio non modo elegans ſit, verum etiam ſapiens. Requiritur quoque vrbanitas facetiarum, in promptu enim ſint Oratori loci, ex quibus ſales & facetias aut ad laceſſendum aduerſarium, aut ad ſeipſum tuendum depromat.

His igitur facultatibus quem delineare conamur Oratorem, prius informandum eſſe cenſemus:

ſemus: harum illi cognitio adſit, vt non ſit, cuius ille ſit rudis & ignarus: tametſi compendioſa, et ſummis capitibus comprehenſa: nec illa abſoluta nec accurata. Non enim hic quæritur, illa exacta Philoſophiæ ſcientiarumq́; cognitio, qua præditi ſunt illi, qui in ſingulis illis verſantur: longum enim & infinitum, & prorſus incredibile eſſet opus, vt ea quæ in ſingularum ſcientiarum artificibus ſingula raro probantur, vniuerſa in vno iudicarentur perfecta. Nec ille iam Philoſophorum anguſto more diſputabit: Sed vt Hiſtriones palæſtram inſcendunt non vt luctarentur, ſed vt exercitatione palæſtræ membra decentius & corpus moueant, aptiuſque geſtum componant: Sic Orator Philoſophiam ac cæteras rerum magnarum ſcientias noſſe debebit, vt orationem ſuam efficiat pleniorem atque doctiorem.

Sed iam ſtudioſis obſequar iuuenibus: & quantum mihi labores, tum publici tum domeſtici tribuent otij, ad ſcribendum potiſſimum conferam.

Quid ſit Orator, & quæ videnda in Oratore.

ORator eſt qui quæcunq; res inciderit, & quæ ſit dictione explicanda, prudenter, compoſitè & ornatè memoriterque dicat: cum quadam etiam

actionis

actionis dignitate. Ex his tria officia erunt Oratoris, inuenire quid dicat, & quo quicque loco, & quo modo: hoc est, inuenire, disponere, eloqui.

De prima parte officij Oratoris, Inuentione.

I*Nuentio est argumentorum verorum & probabilium inuestigatio. Inueniet enim Orator, quo fidem faciat, tum etiam animos audientium flectat. Fidem faciet argumentis, quæ fiunt ad probandam quæstionem: quæ est propositio adducta in dubitationem seu disputationem, de qua in vtramque partem, Oratione possumus contendere. Argumenta autem ex locis petenda sunt.*

De Quęstione.

Q*Væstionis Genera duo sunt, Causa & Propositum. Causa finita est temporibus, locis, causis, personis, & similibus, vt num bellum, iure gerat Pompeius cum Cæsare? Dicitur etiam controuersia & quæstio finita à Græcis Thesis appellatur. Propositum vero neque personis, neque temporibus, neque locis, neque causis, aut reliquis attributis finitur: vt vtrum anima sit immortalis: vocatur etiam consultatio & quæstio infinita: à Græcis vero Hypothesis nuncupatur.*

De Locis & Argumento.

Locus est in quo Argumentum latet, hoc est sedes & quasi domicilium argumenti. Est enim locus ceu regio quædam: argumentum vero id quod fert illa regio: hoc vocatur probabile inuentum ad faciendam fidem: vel ratio eius quod rectè in quæstione positum. Dicitur autem probabile, non vt excludatur necessarium: sed quod probabile, proprium sit Oratoris, vel magis frequens: vt Mater est, ergo diligit liberos: liberalis est, ergo appetens honores. Necessarium autem illud est. Non fuit Romæ Roscius, ergo patrem per se non occidit, qui Romæ interiit. Vtitur ergo Orator non solum probabilibus, sed etiam necessariis. Verum quia maior copia probabilium sese offert, ideo eius inuentum dicitur esse probabile.

Diuisio Locorum.

Locorum alij sunt communes alij proprij generum, laudationis, deliberationis, & iudicij, alij proprij singularum quæstionum An est, Quid est, Quale est. Loci communes sunt Dialectici, ex quibus ad omnes disputationes quæstio oritur. Neruus enim eloquentiæ est ars disserendi, quæ nulla alia re differt à ratione dicendi, præter, quod

hæc latius

hæc latius, illa vero contractius tela sua proponit: ex eadem tamen vtræque promunt pharetra. Dicit enim Orator, non tantum de Seruio Sulpitio Iurisperito, sed etiam de toto iure ciuili: non modo de Muræna duce, sed & de arte imperandi: non modo de Catone Stoico, sed de tota disciplina Stoicorum: non modo de seditioso quopiam, sed etiam de omni seditione populari: non modo de Opimio interfectore Gracchi, sed etiam de liberatoribus Patriæ, hinc orationis vbertas & copia. Bonus enim Orator sciet transferre Hypotesim ad Thesim. Porro is Thesim commodè tractabit, qui iam à prima adolescentia sic fuerit institutus ac exercitatus, vt de rebus multis in vtramque partem disserat: Quod Aristoteles emulatus Isocratem fecit, vt adolescentes Rhetorum more ad vberius & ornatius dicendi genus exerceret. Alius enim est mos Philosophorum disserendi tenuiter: hoc est subtiliter argumentandi, sine vbertate popularium sententiarum, sine eleganti numerosoq́; orationis ornatu. Ex his locis nihil ferè egregium dicet declamator ille rudis è ludo scholaque Magistrorum, qui declamatione quasi tyrocinio contentus, nunquam venit in prælij certamen. Nihil itidem rabula de foro, qui quamuis sit indoctus & impolitus, egregiè tamen litigiosus, & vociferando conten-

do contentiosus. Sed Orator ille bonus, percurret omnes, vt si quid fortè detur, excipiat.

De Locis Communibus artificialibus.

S*Vnt autem duo genera Locorum Communium: Nam alij sunt insiti, seu artificiales, alij assumpti siue artis expertes: Insiti sunt, qui rebus ipsis infixi sunt, quæ ad disputandum proponuntur. Horum duo sunt genera. Alterum eorum qui ex toto ducuntur quod genus est Definitio, Notatio, & enumeratio. Alterum quod ex rebus deducitur, quæ quodam modo affectæ sunt ad id, de quo quæritur: quod genus in plures formas distribuitur, nam alij sunt coniugatorum, alij ex genere, alij ex forma, alij ex similitudine, alij ex differentia, alii ex contrario, alii ex adiunctis, alii ex antecedentibus, alii ex consequentibus, alii ex causis, alii ex comparatione maiorum, aut parium, aut minorum. Sed in præsentia docere de locis insitis, seu de iis qui ab arte ducuntur cum non minus seruiant Dialecticis, quam Oratoribus sententia non est. Instructum enim volumus ad nostram facultatem venire futurum Oratorem disserendi subtilitate: neque quicquam tentandum hic erit ei qui absque Dialecticorum telis atque argutiis se incedere sciuerit. Nunc ingrediamur*

diamur locos, assumptos seu inartificiales, qui verius sunt Oratoris: ij licet arte careant in inueniendo, tamen arte tractandi sunt,

De Locis Communibus assumptis, seu inartificialibus.

L*Oci assumpti sunt testimoniorum. In testimonio autem Cicero illos etiam quos Quintilianus tradit complexus est. A Quintiliano enim traduntur loci inartificiales à præiudiciis, à tormentis, à tabulis, à testibus. Quidquid autem foris assumitur, id testimonium putatur.*

De Testimoniis.

T*Estimonium est quidquid à re extranea sumitur ad faciendam fidem.*

Sunt autem duo genera testimoniorum. Diuinum, & Humanum: solis enim Diis & hominibus concessum est mentem exprimere. Diuinum est quod proficiscitur à Deo, & eundem autorem habet quod semper in probando firmum est. Hoc diuiditur in Oracula, auspicia, vaticinationes & responsa. Oraculum est ipsa vox Numinis: dictum quod in eo insit Diuina oratio, vt fuit Oraculum Delphicum, Colophonicum, nobis sunt scripta Prophetarum, Euangelistarū. Auspicia & auguria sunt obnunciationes augu-

rum ex auium volatu, cantu, fulmine, ardore cœli, tempestatibus, procellis. Huc refferuntur omnia quæ in rebus humanis contra communem naturæ cursum fiunt vt homo, vitulus duobus capitibus: & quidquid contra naturam fit.

Vaticinationes sunt vatum diuinationes, vt Sybillarum, Calchantis, & Caßandræ, apud Homerum: apud Virgilium Heleni: quorum locum Prophetæ apud nos tenent.

Responsa sunt triplicia, Sacerdotum, Aruspicum, & Coniectorum. Sacerdotes sunt administri rerum sacrarum, qui religioni, & cæremoniis sacris præsunt.

Aruspices sunt, qui ex inspectione intestinorum seu viscerum, in pecudibus tum prodigiorum consideratione Deorum voluntatem interpretantur: veluti Cæsari responsum erat: Quia cor in victima inuentum non esset Principi imperii portendi interitum.

Coniectores sunt qui insomnia & dormientium visum interpretantur: veluti cum vellet dextrū humerum aspicere in somnis non potuit monoculus factus est. Si quis apertius hæc intueri volet legat libros Ciceronis de Diuinatione. Cæterum ex iis argumenta ducere non est magni negotii, quando quidem istud imperiti factitant adeo vt

deo vt hæc sine arte dicantur. Quod si alia religio nostra est, alia antiquorum: & hæc omnia accommodare tempori, neque possumus, neque debemus, non tamen omnino sunt inutilia.
Plura nobis quam illis oracula: multa signa & prodigia tum multæ vaticinationes, multa responsa sanctorum virorum: nonnullæ somniorum interpretationes, vt Iosephi, DANIELIS.
Gentium vero etsi nullæ sint, tamen res antiquorum nemimem nosse pœniteat.
Testimonium humanum est: quod ab homine redditur, & eundem authorem habet, quod non semper firmum est. Eius partes sunt tres, Authoritas, voluntas, & Oratio.
Authoritas est, præclara de aliquo existimatio: vt si quid visum est gentibus, populis, sapientissimis viris, legum latoribus, claris Ciuibus, Poetis, magnisque rerum scriptoribus, quarum rerū plenæ sunt disputationes omnium: nec vllum doctis aut indoctis frequentius argumentum est.
In testimonio humano plurimum virtuti tribuitur, & ideo maximè spectatur in testibus, vt quisque sit idoneus. Quare qui testari volet, suumque recipi testimonium, illas præclaras dotes & virtutes adferet, ingenium, sapientiam, & industriam: virtutibus etenim homines efficiunt, vt & maxima sit eorum apud omnes commendatio

& in te-

& in testimonio dicendo summa authoritas. Voluntas est suum præscribens de re aliqua iudicium, vt voluntas testamentorum, mandatorum, & priuilegiorum: ea sæpè rebus scriptis inquiritur: vnde est status legalis, de scripto et voluntate. In voluntate videndum est, qua mente, quo studio, & affectu aliquis testimonim dixerit. Oratio est omnis expressa, siue verbis siue scripto sententia: vt populi sermo, testiū dicta, et ea verba litigatorum, quæ de causa circumferuntur. Est autem duplex Oratio. Libera & expressa siue coacta. Libera Oratio est, cum nulla adacti necessitudine, nec vi aut tormentorum pœna impulsi, verum proferimus. Expressa vero est, quæ ab iniquis extorquetur, siue animi perturbatione exprimitur: vt Quid ebrietas designat, operta recludit? Oratio sub se comprehendit quinque: scripta, pacta, promissa, iurata, & quæsita. Scripta sunt, Leges, Senatus consulta, Decreta, Præiudicia, tum quidquid literis mandatum est. Pacta sunt, quæ inter aliquos mutua fide constituuntur. Differunt à promissis duobus modis. Nam pactum minimum duorum est, vt in sponsalibus, promissum vnius esse potest. Præterea pactum firmius, promissum debilius. Iurata sunt, quæcunque dixerat iuratus aut testis aut alius: siue apud Iudices, siue apud alios loquatur. Quæsita vero

ta vero

ta vero sunt testimonia, vi tormentorum expressa: vnde tormenta nominantur quæstiones.

De Locis Propriis Quæstiõis Finitæ nempè Demonstratiui, Deliberatiui & Iudicialis generis.

IN his tota facultas Rhetorices est, & eadem in singulis integra. Nam qui horum vnum tenuerit, Oratorem se esse sciat, singula enim genera Oratorem absoluunt. Teramenes Cognomento, Cothurnus deliberatiuum tantum apprehendit, & Orator dictus est. Zeno iudiciale tantum adeptus, Orator vtique habitus: Gorgias dum demonstratiuo contentus esset, non amisit propterea Oratoris nomen.

De Genere Demonstratiuo, quod alio nomine à parte potiori Encomiasticon siue laudatiuum dicitur.

GEnus Demonstratiuum est quo laude vel vituperio conditionem hominis demonstramus. Quod quidem raro per se adhibetur, frequenter autem in aliis generibus incidit. Exempli causa. Si quem commendare nitimur, in personæ demonstranda laude, versari necesse est: & si cui suademus, vt in aliam vrbem aut villam commigret

migret demonstratione, eius loci faciem ante oculos ponimus. Quod idem accidit in consolatione, petitione, exhortatione, admonitione. Præterea in criminatione, defensione, inuectiua, & consimilibus generibus. Quoties autem per se adhibetur, totum est ad delectationem accomodatum. Huic olim patebat apud Romanos campus Martius: nunc Senatus, Porticus, templa patent: in quibus laudantur viri. Solebant autem Romani cognatos omnibus modis extollere, omniaque ornamenta eorum referre. Catulus primus Popiliam matrem suam, cui primum mulieri hic honos Romæ tributus est. Postea Iulius Cæsar sexdecim annos natus, Amitam laudauit. Multi quoque hoc genere vtuntur in nuptiis, in nouorum Magistratuum, vel alicuius Principis aduentu.

De Locis Demonstratiui generis.

IN *hoc genere laudantur bona, quorum triplex est genus, Animi, corporis, Fortunæ.*

Loci bonorum animi.

VIrtus *hic consideratur: quæ diuiditur in scientiam, & actionem. Scientiæ partes sunt, Prudentia & Sapientia. Prudentia diuiditur in Æconomicam, & Politicam: illa domestica, hæc ciuilis vcoa-*

uilis vocatur. Sapientiæ, comites sunt artes: vt Rhetorica, Dialectica, & scientiæ, vt Theologia, Philosophia est. Actionis caput temperantia statuitur: quæ versatur aut in rebus commodis aut in incommodis. In commodis est magnitudo animi, Iustitia: Illa suas res curat, hæc communes. Animi magnitudinis partes sunt, Continentia, Abstinentia, Liberalitas. Continentia cōmoda quæ absunt non expetit, Liberalitas iis honeste vtitur. In incommodis duplex virtus, Fortitudo, quæ venientibus malis obstat, & patientia mala quæ adsunt tollerat. Iustitiæ partes sunt quinque, Religio, Pietas, Fides, Lenitas, Amicitia. Custos omnium virtutum verecundia. Promenda quoque argumenta erunt ex specie tantum virtutibus, quæ cum vitia sunt, imitantur virtutes, veluti malitia prudentiam: immanitas temperantiam, superbia magnitudinem animi, despicientia, honorem: effusio, liberalitatem: audacia, fortitudinem: duritia, patientiam: acerbitas, iusticiam: superstitio, religionem: molicia, animi lenitatem: timiditas verecundiam, loquentia eloquentiam, vitiosa studia, bonas artes: amisimus enim propria vocabula rerum, vt conqueritur Cato apud Sulpitium, inde auariciam parsimoniam vocamus.

Loci bonorum corporis.

Bona corporis sunt quæ natura corpori attribuit, vt velocitas, Homerus à pedum velocitate Achillem laudat & Virgilius Camillam. Vires quas cum natura dat, auget exercitatio. A viribus laudat Virgilius cum ait: Sunt nobis fortia bello pectora, sunt animi, & rebus spectata iuuentus. Dignitas quæ est pulchritudo corporis, vt venustas mulieris, hæc nos gratiores efficit, vt Virgilius 5. Æneid. gratior & pulchro veniens è corpore virtus. Idem à pulchritudine Æneam 1. Æneid. laudat dicens, Quale manus addunt ebori decus: aut vbi flauo argentum, Pariusque lapis circumdatur auro. Præterea valetudo quæ partim natura datur, partim studio & diligentia comparatur. Quintus Metellus in ea oratione, qua patrem Lucium Metellum laudauit, inter alia quæ affuerunt illi, valuisse eum inquit.

Loci bonorum Fortunæ.

Bona Fortunæ sunt quæ casus aut fortuna secunda aut aduersa nobis confert. Sunt autem hæc genus vt Horatius Mecænatem in Principio libri Carminum à maioribus laudauit dicens. Mecænas atauis ædite regibus. Et Æneas Didonem apud Virgil. 1. Æneid. à Parentibus. Qui tanti talem genuêre parentes. Laudantur quoque, & qui prælucent maioribus suis virtute.

Item Edu-

Item Educatio. Qui enim sub bonis educatus præceptoribus, hunc bonis esse moribus credibile est. Non minoris namque est quos asciscas tibi præceptores, quam quos nactus sis parentes: etenim vt liberi fermè referunt maiorum ingenia, à quibus procreati sunt, ita quoque vitia demigrant plerumque in eos quos illi instituunt. Quintilianus refert libro 1. capite 1. suarum Institutionum Alexandrum à Leonide Pædagogo quibusdam vitiis imbutum, quæ robustum quoque & iam maximum Regem ab illa institutione puerili sunt prosequuta. Adduntur diuitiæ, potestates, gloria. Quæritur enim diues ne an pauper sit? liber an seruus? priuatus an cum potestate? fœlix an contra? Nam diuitiæ potestates & gratia certißimum faciunt morum experimentum. Aut enim meliores propter hæc aut deteriores sumus, qui liberalis est in amicos, erogare egenis consueuit, is laudem meretur Præterea amici. Multum enim interest quo pacto aliquis amicitiis vsus est, qualesuè eius amici fuerunt. Vetus enim prouerbium Pares cum paribus facile congregantur. Laudantur sæpe solæ virtutes, vrbes: quæ non parum vetustate commendationis, authore, loci positione, munitione, incolisuè ferunt. Est quoq; laus operum, factorumuè, in quibus honor, vt in Templis, vtilitas, vt in muris: pulchritudo

author vtrobique spectari solet. Est & locorum in quibus similiter speciem, & vtilitatem intuemur: speciem vt in maritimis, planis, amœnis: vtilitatem vt in salubribus fertilibus. Erit etiam dictorum honestorum laus generalis: vt sunt fidei, nullæ seræ: Fortuna fallacior quo blandior, Temporis parcus dispensator: & similium. Erit laudatio & rerum omnis modi. Nam & somni & mortis scriptæ sunt laudes, & quorundam à Medicis ciborum.

Loci Vituperatoris.

IIdem sunt loci vituperandi, qui laudandi. Vituperantur enim vitia animi, quæ sunt virtutibus contraria. Cicero in Catil. 1. Neque enim Catilina is es, vt te aut pudor à turpitudine, aut metus à periculo, aut ratio à furore reuocarit: & Philip. 2. Iam inuideo Magistro tuo, qui te tanta mercede quantam iam proferam nihil sapere docuit. Quid enim minus non dico Oratoris sed hominis quam id obijcere adversario quod ille si verbo negarit longius progredi non poßit.
Item vituperantur bona corporis, vt imbecillitas, deformitas, aut mala valetudo, quæ ipsius culpa & intemperantia adfuisse dicet vituperator. Quod si robur, forma, valetudo & alia aderunt, iis male vsum dicet. Salust. in Cicero. Lingua inquit

gua inquit vana: manus rapacißimæ, gula immensa, pedes fugaces, quæ honestè nominari non possunt inhonestißima. Vituperantur Fortunæ incommoda, vt Aiax apud Ouidium, Vlyßis genus vituperat, id dicens. Qui sanguine cretus Sysiphio furtisque & fraude simillimus illi. Vituperantur & commoda, vt enim generis turpitudo, sic & claritas ipsa opprobrio multis fuit. Vt enim maioribus pulcherrimum posteris gloriam relinquere, sic turpißimum est minores quod acceperant tueri & conseruare non posse, & turpe est non in suis sed maiorum virtutibus habuisse præsidium. Cic. in Salust. Tu tuis vita quã turpiter egisti magnas offudisti tenebras, vt etiam si fuerint egregij Ciues, per te venerint in obliuionem. Cæsar apud Lucanum superbiæ per locum ab educatione arguit Pompeium. Salustius quoque turpem sub præceptore educationem Ciceroni obijcit dicẽs. An non ita à pueritia vixisti, vt nihil flagitiosum corpori tuo putares, quod alteri collubuisset. An scilicet istam immoderatam eloquentiam apud Marcum Pisonem non pudicitiæ iactura perdidicisti? Vituperari solent ij qui in lupanaribus, mensis, sua bona consumunt, tum ij qui iniustè acquirunt. Salust. in Cicer. Domum ipsam tuam vi ac rapinis funestam tibi ac tuis comparasti, videlicet vt nos

communefacias quam conuersa est Respublica, cum in ea domo habitares homo flagitiosissime, quæ Publij Craßi viri Consularis fuit. & inferius. Cui potest esse dubium quin opulentiam istam ex sanguine & miseriis Ciuium parauerís. Amicitiam Antonij taxat Cic Philip.2 ad quos refert. Dij immortales? ad eos scilicet quorum vobis dies etiam natales audiendi sunt. Hodie non descendit Antonius? Cur? dat natalicia in hortis, cui? neminem nominabo: Putatote cum Phormioni, tum Gnatoni, tum Ballioni.

De Deliberatiuo Genere.

DEliberatiuum Genus est in consultatione positum. Partes eius sunt duæ Protbropi hoc est suasio, exbortatio, & Apotropi hoc est dissuasio, debortatio, & hæc rerum inutilium, illa vtilium. Diuiditur autem deliberatio in eam, in qua quæritur vtrum faciendum sit, quæ est de duobus: & eam in qua consideratur quid potißimum conueniat, quæ est de pluribus: de sola enim aut vna re deliberatio nulla fit. Item omnis deliberatio aut est propter se, aut propter causam aliquam extraneam, aut propter vtrumque.

Loci Deliberatiui Generis.

Sunt

SVnt autem quatuor loci, ex quibus argumen-
ta is qui persuadere conabitur assumet. Hone-
stum, Vtile, Necessarium, Possibile.

Honestum est quod per se est expetendum, ple-
rumque enim vtilitas cum honestate pugnat ve-
luti in diuortio, vtile est retinere vxorem adulte-
ram, sed non honestum Hoc diuiditur in duas
partes, in Rectum & Laudabile. Rectum di-
uiditur, in virtutem & officium. Virtutis par-
tes sunt, Prudentia, Iustitia, Fortitudo, Tempe-
rantia. Laudabile est, quod conficit honestam &
præsentem & sequentem commemorationem, id
ex officio & virtute nascitur, neque vnquam ab
honesto separatur. Porro officium est virtutis, ad
vnamquamque personam accommodatio. Id su
mitur ab ætate, scientia, dignitate, professione,
aliisque circumstantiis: vt aliud est officium Mi-
litis, aliud Iureconsulti, aliud Præceptoris, aliud
discipuli, nobilis, plebei, obscuri, Consulis, præto-
ris, senis, iuuenis, docti, indocti, viri, fœminæ, con
iugati, cælibis: quæ quidem officia pro loco, tem-
pore, & rerum conditione variantur.

Vtile in conseruatione præsentium et cõparatione
sequentium commodorum, & in horum quæ iis
sunt contraria euitatione consistit: vt, sitnè vtile
bellum inferre. Hic autem sciendum est sæpè
vtilia honestis anteferri. Cic. in Philip. 1. Primum

igitur acta Cæsaris seruanda esse censeo: non quod probem, quis enim id potest, sed quod rationem maxime habendam arbitror pacis & otij.
Necessarium est, sine quo salui liberique esse non possumus: vt, libertas, vita, pudicitia. Hæc enim talia sunt, vt sine his vel non poßis, vel non debeas viuere. Est præterea necessarium sine quo hæc obtineri non possunt: vt, sine portu aut mœnibus, ea ipsa vita, libertas. Cic. Philip. 7. Bellum cum Antonio necessarium esse dicit, quia pax esse non potest, salua libertate.
Poßibili, facile & difficile adiunctum est: hic enim cognoscendum est, poßit ne aliquid effici nec ne ex caussis efficientibus. Quarum hæc sit partitio. Primo quædam ipsæ efficiunt, quædam vim adferunt ad conficiendum: vt locus, tempus, instrumentum, adiunctum quod vis. Secundo conficiens causa, alia absoluta est, vt sol diei, oculus visus: alia socia, vt Miles victoriæ. Tertio socia aut maior est: vt Fortuna victoriæ, aut minor, vt Miles. Quarto causæ aliæ, propter principium conficientes sunt: vt materia, aliæ propter exitum, vt finis, in quo sunt personæ, tempus, locus, facultas, arma, pecuniæ, socij.

Loci deliberatiui Generis Dissuasoris.

DIssuasor ex locis contrariis, contraria argumenta

menta accipiet, nempe à turpi, inutili, non necessario & impoßibili. Quod si sua viderit dissuasor argumenta non posse pugnare cum honesto, vtili, necessario, poßibili, aduersaria attenuanda erunt potius, sed non penitus improbanda.

Nam si contra honestatem Orator diceret, nemo ei assentiri animum inducet, cum honestas laudanda semper sit, Aut igitur neganda sunt, aut si negari non possunt, minora ex his sequi ostendendum. Quod Cæsar fecit apud Salustium cum Syllanus & cæteri qui prius dixerant vt coniuratores & patriæ proditores nouis cruciatibus & grauißimis affecti supplicijs necarentur. Nam cum iustum & honestum illud negare non posset, attenuauit, nec tam egregium quam illis videbatur esse dixit. Quoniam non in excogitandis nouis cruciatibus virtus posita esset, sed in conseruãdo potius & absoluendo illos: cum præsertim cædi virgis virum Romanum lex Portia prohiberet: & multo magis necari. Is præterea inquit longe maiorem gloriam ex clementia, quam ex crudelitate consecuturos. Ergo non contra honestatem dicit Cæsar, aut veritatem: sed clementiam magis partibus conuenire ostendit, quam crudelitatem: & veritatem non in seueritate, sed in clementia positam esse: & sic in contrarijs potius rebus virtus egregia posita esse ostenditur.

LIBER PRIMVS

De Locis Generis Iudicialis.

IVdiciale genus de causis iudicat, finemque aequitatem habet. Diuiditur in tres partes quas constitutiones causarum, siue controuersias appellant in quibus insistit ad repugnandum congressa defensio. Sunt autem hae. An sit, quid sit, quale sit. Hoc est coniecturae definitionis & qualitatis: quae partitio à naturae quodam cursu existit, nam cum contingit de rebus iudicare, primo quaeritur an res sit: & compertorem esse, proxima est dubitatio, quid sit: & constituta quidditate, non potest dubitari, nisi qualis res sit. Sunt autem tria necessaria, vt fiat constitutio, Status, ratio, atque firmamentum, Status nascitur ex intentione accusatoris, & depulsione rei. Intentio est Opimi occidisti Gracchum Decius accusat, Depulsio occidi sed iure. Statu reperto quaerenda ratio est, quae causam facit, & defensionem continet, sine qua nec parua dubitatio potest remorari damnationem, si videlicet de facto constet, nec tamen vlla facti afferatur ratio, quae eiusmodi est. occidi sed Reipublicae causa. Inuenta ratione firmamentum est quaerendum, quod & infirmatio appellatur. Decius enim dicet. Nec sceleratissimũ quidẽ Ciuẽ sine iudicio licet occidere. Ex infirmatiõe igitur, & confirmatiõe iudicatio nascitur, quae

tur, quæ est iudicij quæstio, hæc talis hoc loco est. Poteritne Opimius Reipublicæ causa Ciuem pestiferum sine iudicio occidere. Sed scias in huiusmodi genere causarum, vbi controuersia nulla est, non sic aperté & facilè constitutionem causæ emergere: vt in causis apertarum controuersiarum, quales sunt iudiciales, & nonnunquam deliberatiuæ: vt enim ait Martianus. In demonstratiuo genere quemadmodum status emergat non est facile cõmonstratu, non tamen dubitandum est demonstratiuum, & deliberatiuum genus causam continere: & plerasque causas demonstratiuas & deliberatiuas appellari, vt oratio pro Marcello, tota est in demonstratiuo genere constituta: Omnes enim gratiarum agendi formas, laus quædam comittatur, videri tamen potest illic cõstitutio qualitatis ex sola intentione nata. An scilicet Cæsar maximam laudem, in restituendo Marcello est consecutus & pro Pompeio dum dicit Cic. Totam orationem refert ad deliberatiuũ genus: suadet enim vt bello præficiatur potissimum Pompeius, cuius magnam adfert victoriæ coniecturam, si Pompeio comissum fuerit hoc bellum: vt coniecturalis constitutio non immerito possit appellari. Rursus notabis non in omnibus constitutionibus hoc modo nasci indicationem, aliter enim nascitur indicatio in coniecturali constitutio-

stitutione, aliter in aliis. In coniecturali statim ex ipsa depulsione nascitur iudicatio: vt Vlysses occidisti Aiacem? non occidi: iudicatio est an occiderit. In qualitatis vero & definitiuo non statim ex responsione rei, sed ex coniunctione rationis cum firmamento iudicatio oritur. Reperta iudicatione, ad eam tanquam ad scopum Orator argumenta ex locis propriis statuum accommodabit.

Loci proprij status coniecturalis.

LOci huius status sunt, aut verisimiles rerum notæ, aut propriæ. Verisimile est quod plerumq; ita fit: potestque aliter se habere: vt adolescentiam procliuiorem esse ad libidinem. Duo autem sunt genera verisimilium. Probabile. Quod ab intellectu, non vero ab extraneo signo ducitur: vt quia intelligimus eos qui oderunt aliquem, cupere illum perditum, dicimus verisimile fuisse: Vt Clodius insidiabatur Miloni. Alterum signum est, quod sub sensum aliquem cadit: vt cruentum gladium sub veste habet ergo cædem fecit. Nascuntur porro verisimilia ex circumstantiis, quæ à Græcis Peristases nominantur. Sunt autem circũstantiæ, Persona, Locus, Tempus, Facta, euenta, natura rerum, negotiorumque.

Locus Verisimilium Personarum.

IN persona ad coniecturas inquirendas, spectantur tria genera bonorum & malorum: corporis, animi, & fortunæ: Attributa corporis sunt, valetudo, figura, vires, ætas, sexus. Ex valetudine coniecturæ cognoscuntur, Valetudine infirma est, ergo intemperantior. & laborat morbo graui, ergo se domi continebat. Ex forma, egregia est forma, ergo facile captus libidine, & deformis est, ergo parum probus. Ex viribus, robustus est, ergo confidebat viribus, ergo petulanter egit, ergo bonus futurus Miles. Infirmus est, ergo tantum audere non potuit: roboris enim comes est audacia. Ex ætate cum obseruamus affectiones ætatum: aliam enim ætatem alia decent: vt Adolescens est, ergo procliuis ad libidinem. Senex est & pauper, ergo facile corrumpi potuit. Ex sexu, vir est: ergo ad vim propensior. Mulier est, ergo garrula, inconstans, facile amat, facile oderit. Attributa animi sunt duo: Habitus & Commotio. Habitus est firma & constans animi affectio, & is duplex est. Intellectus, vt artes & disciplinæ: & voluntatis: vt virtutes & vitia. In coniecturis inuestigandis videndum est qualis sit persona, quibus artibus & studiis, quibus virtutibus & vitiis prædita. Aliæ enim sunt coniecturæ de homine docto, a-

liæ de pro-

liæ de ꝓbo, aliæ improbo: vt Philosophus ē, ergo non facile abducitur voluptate, ignarus rerum est, ergo id facere non potuit. Commotiones sunt quatuor, Cupiditas, Metus, Voluptas & Molestia, In coniectura igitur videndum est, quo affectu aliquis commoueatur: num sit cupidus, num timidus, num hilaris, num tristis. A cupiditate & auaritia Titum Roscium arguit Cic. A metu Chrisogonum conscium esse cædis Roscianæ ostendit: A dolore quem cæpit filius Roscius obiectum crimen Parricidij refellit. A voluptate arguebatur Deiotarus inimicitiarum, quod Cæsaris audito periculo lætus esset, in conuiuioque saltasset. Qualis enim est affectio talis quisque videtur: vt iracundus est, ergo temerè dixit, fecit, Lætus est ex obitu parentis, ergo vult sine lege viuere.

Attributa quæ insunt personis à Fortuna.

GEnus, in quo spectatur natio, patria, cognatio: hoc est, quibus parentibus quispiam & cognatis sit ortus: an Nobilis vel ignobilis. Inde illud Phrix plagis melior. Partus ventrem sequitur. Fortes creantur fortibus. An cum multis vel paucis, bonis vel malis, colat amicitiam. Noscitur ex sociis qui non noscitur ex se: & qualis amicus talem ipsum esse credibile est. Liberi.

Quales aliquis habeat liberos, si nullos si multos, si paucos: horum enim causa multa parentes suscipiunt: & vita filiorum prodit institutionem parentum. Inde illud Virg. Omnis in Ascanio chari stat cura parentis. Et Terent. Euenire ea satius est, quæ in te vxor dicit. & quæ in animo cogitat irata, quam illa quæ parentes propitij. Item Propinqui, affines, si inopes, si potentes: horum enim potentia aliqui freti, res magnas aggrediuntur. Ad hæc Opes & diuitiæ quæ nobis ad aliquid suscipiendum sæpè animum faciunt. Plato, impoßibile est summam virtutem cum summis diuitiis esse coniunctam. Præterea honores, vt credibile est in Magistratu, seu potestate fretum quempiam per vim oppreßisse. Vltimo libertas, De homine libero plerumque opiniones sunt, eum difficile ferre miserias, seruitutem, imperia, verbera, de seruo autem eum expetere, vt libertate quamprimum vindicetur. Attributa hæc, non solum ad coniecturas, sed etiam laudes & reprehensiones personarum valent plurimum.

Locus verisimilium Circumstantiæ Loci.

Locorum varietas sumitur, vel à natura, vel à fortuna. A Natura vt montosus, lenis, vel asper, salubris. vel pestilens, opacus vel apricus,

seu expo-

seu expositus Soli. A Fortuna locus, vel est cultus, vel incultus, celebris, vel desertus, ædificatus vel vastus, obscurus vel rebus gestis nobilitatus, vt monumentis, Sepulchris, imaginibus clarorum virorum, victoriis, trophæis, consecratus vel prophanus. Quæ duo & ad amplificandum factum valent plurimum. Locus enim & tempus auget peccatum. Valet autem locus ad coniecturas & confirmandas & refutandas, ad amplificationes factorum, ad ius, ad qualitatem, ad commendationem, ad inuidiam excitandam, ad descriptiones, laudesque regionum, ac locorum.

Locus verisimilium Circumstantiæ Temporis.

QVemadmodum nihil fit nisi in loco, sic omnia in tempore certum est agi. Tempus autem aut præsens, aut præteritum, aut futurum est, in quo spectantur vetusta, recentia, instantia, paulo post, aut aliquando futura. Item vel est quasi naturam temporis notans, vt Hyems, Ver, Æstas, Autumnus, vel anni tempora, vt mensis, dies, nox, hora. Præterea tempus vel est Sacrificiorum, vel festorum, vel nundinarum, vel nuptiarum, quæ sunt fortuita. Hæ circumstantiæ temporis habent vim in coniecturis, tum in pro-
bandis,

bandis, tum infirmandis: deinde in suadendo, vel dissuadendo, tum in rerũ amplificationibus.

Locus verisimilium Factorum, Euentorum.

F*Acta sunt antecedentia: vt bellum, Euentus autem sunt consequentia, vt Senatus, Corona. Porro per facta intelliguntur actiones tum illæ quæ consulto, tum quæ temerè & imprudenter sunt perfectæ, ex quibus coniecturæ, laudes, & reprehensiones depromuntur. Facta autem vel sunt consilij, vel imprudentiæ. Consilium est aliquid faciendi aut non faciendi excogitata ratio. Imprudentia autem vel est posita in casu, vt illius qui cum peteret Ceruum, interfecit hominẽ: vel in permotione, vt sunt ea quæ fiunt obliuione, errore, metu, cupiditate, gaudio: nam primĩ motus non sunt in nostra potestate: vel in necessitate quæ sæpè numero, etiam nos inuitos cogit aliquid facere. Hinc Cicero Milonem defendit, illamq́ue Clodij mortem necessariam ostendit, si ille saluus esse voluisset. Necessitas enim est ingens telum. Ad hunc locum dicta referuntur.*

Locus verisimilium, Naturæ rerum & negotiorum.

Naturæ

NAturæ rerum intelliguntur causæ impulsiuæ, & finis, quo homines ad agendum aliquid excitantur vel deterentur. Æstimatur autem natura rerum & negotiorum, triplici genere rerum bonarum, atque malarum. Animi, Corporis, & Fortunæ, vt autoritatem habet, Est enim egregia doctrina, & facile mulierem ad amorem pellexit. erat enim formosus, Et tredecim prædia. Roscius habuit quæ gladiatores patris cæde occuparunt, Ergo nunc etiam filij morte retinere cogitant. Harum consideratio differt ab illorum, quæ fiunt in personis, ibi enim vt causæ efficientes, hic autem vt causæ finales spectantur, non enim satis esset aliquas suspiciones in quempiam cadere, nisi probata sit res, propter quam aliquid sit commissum.

De Signis.

SPectantur etiam in coniecturis argumenta signorum, quæ sunt quasi testimonia ab Oratore non inuenta, sed ad eum delata. Signum autem est, quod sub aliquem sensum cadit, & quiddam significat, vt si quis cruento gladio viso cædem factam esse dicat. Signa autem aut sunt antecedentia, vt si præparatum aliquid, si communicatum cum aliquo, si postea visum, auditum, iu-

ditum, iudicatum, vt si Clodius dixisset Consulatum Miloni eripi non posse, vitam posse. Aut consequentia, vt cruor, fuga, pallor, puluis, titubatio, inconstans oratio, & alia signa consequentia. Aut coniuncta cum re, vt pedum crepitus, hominum strepitus, clamor, & alia, quæ tum cum res fierent, aliquo sensu percipi poßint. Obseruabis autem verisimilia argumenta expolliri & probabilia reddi exemplis, similitudine, & fabula.

De propriis rerum notis.

PRopriæ rerum notæ sunt argumenta, quæ nũquam aliter fiunt sed semper certa declarant, vt fumus, certum est indicium ignis, & si mulier lac habet, necessarium est illam peperisse.

Diuisio propriarum notarum.

PRopriæ notæ aut antecedunt res, vt auroræ præcedit Solis ortum, aut simul cum ipsis rebus sunt, vt fumus & ignis, aut consequuntur rem, vt cinis ignem. Item quædam in contrarium recurrunt, vt viuere hominem qui spirat, & spirare qui viuit, quædam vero non recurrunt, vt ingreditur ergo mouetur.

De statu negotiali.

STatus negotialis est, cum de re futura, aut facienda disputatur, vt an Gneius Pompeius bello Mitridatico sit præficiendus. Licet autē fuerint qui constitutionem in eiusmodi causis non quærēdā existimarent, opinati constitutionem ad iudiciales tantum materias pertinere. Est tamen in hoc genere quædam constitutio, nempè caput, ad quod omnis referri atque reuocari debet oratio, quæ ex sola intentione ac depulsione nascitur, estque species coniecturæ. Intentio Pompeius est præficiendus. Firmamentum atque infirmatio est, aduersariorum argumenta, quæ confutanda argumentis locorum, coniecturæ atque deliberationis.

De statu Definitionis.

STatus Definitionis est, in quo non de facto, sed de facti nomine est controuersia, tum enim vtrumque nomen, & quod intendit aduersarius, & quod contendit reus definiendum est, & quid sit aperiendum, vt commisisti sacrilegium, quia res sacras furatus es, ille negat, dicens se furtum commisisse, quia ex priuato loco abstulerat. Locus huius status proprius est definitio. Cuius sunt genera duo, Philosophicum & Oratorium. Philosophicum genus definitionis, ex illis quæ naturam rerum

uum rerum attingunt conficitur, habetq; complexionem generis, differentiarum, vel proprij, vt homo est animal rationis particeps, morti obnoxium, & Triangulus est figura tribus lateribus æqualibus clausa. De hoc genere definitionis obseruabis Primo difficillimum esse, non cuiusuis enim est ingenij, dare certas differentias rerum. Secundo Philosophicam definitionem Oratoriæ facultati non esse aptam. Reprehenduntur enim in Oratore definitiones breues, vel quia scholasticæ sunt, vel quia Orator copiosas definitiones instituit: in eloquentia enim breuitas non habet laudem, Eloquentia enim est copiose eloquens facultas, vel quia facile refutantur, vel quia doctrinam quæ suspecta est redolent, & pueriles sunt. Denique non facile animaduertuntur á Iudice. Oratoria definitio sumitur à rebus aduentitiis, nec quid sit res, sed qualis sit, & quibus affectionibus prædita sit ostendit, vt homo est animal prouidum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis & consilij. Formæ Oratoriæ definitionis sunt descriptiones, enumerationes Consequentium, expositiones per contraria, per dissimilia, vt cum inquiritur propositis duobus: Idēne sit an diuersum, Rex qui regit ita Rēpub. vt non spectet sua commoda sed Reipublicæ: et Tyrannus qui pro sua libidine? per paria: vt for

vis is est qui hostem occidit, ergo & is qui malũ Ciuem. Item per explicationes nominis: vt tumultus nihil est aliud quam timor multus. In hoc statu valebunt argumenta ex locis illis, tum artificialibus, tum extra artem positis: vt à genere, differentia, causis, effectibus, partibus & authoritate, seu testimoniis.

De Statu Qualitatis.

STatus qualitatis est, in quo de genere, natura, & qualitate facti, hoc est iurené an iniuria, recténe an non rectè factum sit, quæritur, vt iuréne Clodium Milo occiderit, ab Hermogene hic status generalis dicitur, nam ita latè patet, vt etiam reliquas formas statuum sub se contineat. Is diuiditur in duas partes, in legitimam & Iurisdicialem. Cicero quoque lib. 2 de Oratore statum legitimum refert ad statum Qualitatis.

De Statu Legitimo.

STatus Legitimus est, quando ex legibus vel de scripto nascitur controuersia. Eius partes sunt quinque. Prima scripti & sententiæ pugna, Secunda contrariorum scriptorum seu legum, Tertia Ambigui, Quarta Translationis, Quinta Ratiocinationis.

De Scripto & Sententia.

Controuersia ex scripto & sententia fit, cum alter verbis ipsis, quæ scripta sunt, alter sententia scriptoris nititur, cumque videtur scriptoris voluntas à scriptis discedere, quod fit propter scripti obscuritatem aut ambiguitatem. Exemplum, Lex est, Peregrinus si ad murum conscendat moriatur. Belli tempore, in oppugnatione vrbis peregrinus murum conscendit, rem præclarè pro Ciuibus gessit, lege accersitur capitis. Defendit se & hanc ait non esse Legislatoris sententiam. Sed si quis conscendat, nulla de causa Reipublicæ id quod accusator negat. Qui defendet scriptum hos locos habebit.

Primus infirmatio defensionis aduersariæ, quæ tractatur, negando, refutando, contemnendo, & irridendo: vt aliud voluit scriptor, aliud scripsit. Quid hoc ineptius, aut dici, aut fingi potest? Oratio enim ad intelligendum quæ volumus inuenta est, non autem vt obscuris tegamus.

Secundus locus, Communis sensus Legislatoris à lege peti debet.

Tertius locus interrogatio causarum finalium, causæ hic inquirentur. Non ita sensit, at, cur id adscripsit? cur quod non voluit protulit, & non protulit quod voluit? Deinde efficientes quæran-

tur. Stultitia ne motum putes an malitia ipsum Legislatorem? At virum prudentissimum arguere stultitiæ non potes, nec virum bonum malitiæ. Hoc ergo quod voluit scripsit.

Quartus. Exempla quæ ex aliis legibus scriptis, & huius latoris & aliorum sunt petenda.

Quintus, Causa, cur non sit additum: vt quæris quare Legislator non aliud quoque caput addidit etiam si patriæ conseruandæ faciat? quia noluit per peregrinum fieri, quod tutius & gloriosius fieri potest per Ciuem.

Sextus, Comparatio scripti & Sententiæ. Lex scripta nullum tempus concedit peregrino conscendendi murum ne munitiones vrbis hosti prodantur. Voluntas seu sententia, belli tempus periculosissimum concedit peregrino facultatem conscendendi murum.

Septimus est amplificatio, primo loco communis, Leges esse seruandas. Deinde causis quæ proferendæ erunt, de periculis Reipublicæ si id conceditur peregrino.

Qui defendet Sententiam seu voluntatem scriptoris, hos locos habeat.

PRimus, Locus communis, In mente Scriptoris non in verbis vim Legis esse positam.

Secun-

Secundus, Causa rei non positæ, exemplum vide in Oratione pro Cecinna.
Tertius Exempla, vt Craßi in eadem Oratione, qui probauit Marcum Curium hæredem esse oportere, qui tamen ita hæres erat institutus mortuo Posthumo, si filius non modo mortuus, sed ne natus quidem esset.
Quartus opposita infirmatio reprehensioni aduersariæ. Trahenda hic erit aduersarij interpretatio in odium: vt Cicero fecit in eadem oratione, dixerat enim aduersarius. Iureconsultorum authoritati non esse obtemperandum: Odiosum hoc dictum esse Cicero docet.
Quintus deprecatio, dicendum sæpe imprudentes peccare homines: & imprudentiæ causa non ad delictum pertinet, sed ad necesitatem. Deinde acerbam & inhumanam interpretationem esse aduersarij ostendendum est. Sumendi quoque erunt loci communes, vt sunt Definitio quæ patefacit obscurum, Diuisio quæ discernit ambigua. Item loci causarum & effectuum, circumstantiarum, & pugnantium.

De contrarijs Legibus.

Controuersia fit ex contrariis Legibus, cum alia lex iubet aut permittit, alia vetat quidpiam facere,, vbi notabis sanctionem plus valere

 permissi-

permißione: legem quæ cogit potiorem illa esse, quæ permittit. Nam in eo, quod imperatur necessitas est: in eo quod permittitur voluntas. Cogit illa quæ proposita pœna imperat hoc modo. Quicunque hostibus mœnia circumsedentibus arma non cæperit, reus capitis esto, & lex est. Peregrinus alienis legibus si volet subiectus non esto. At hostibus muros circumsedentibus, inermis peregrinus deprehenditur, accersitur capitis, lege sua se tuetur: sed fortior lex est quæ cogit, quam quæ permittit: illa enim neminem nec peregrinum quidem excipit. Lex est quæ permittit, vt qui volet concionetur, & qui posset per ætatem militet, sed validiores sunt quæ vetant: vt infamis ne militet, & impudicus ne concionetur. Infirma enim erit Si quis dixerit, Concionatus sum, quia lex permittit, & idem esse impudicus ostendatur: parum valebit defensio, cum lex sit, impudicus ne concionetur. Notabis quoque legem inferiorem cedere superiori. Item legem specialem derogare generali. Item legem humanam cedere Diuinæ. Item leges veteres corrigi & abrogari nouis. Hic status locos proprios non habet, verum quibus defendimus significationem, & sensum, qui nos iuuat, eisdem legem nostram tueri debemus, & sic præcepta status ambigui huc pertinebunt. Deinde quibus locis

scriptum

scriptum & sententiam tuemur, iisdem legem nostram, verba eius, & sententiam tueamur: & sic præcepta scripti, & sententiæ, hic locum habebunt.

De Ambiguo.

Ex Ambiguo controuersia nascitur, cum id quod scriptum est, plura significat, pluribusuè modis interpretari potest, à Græcis Amphibologia nominatur. Exempli causa, Lex est, Meretrix coronam auream non habeto, si habuerit publica esto. Hic ambiguum est, num meretrix, an corona publicanda sit?

Loci huius Status sunt.

Primus vterque tam accusator quam defensor, significationem & interpretationem commendabit, dignam dicet prudentia scriptoris, eius instituto, & consiliis, quod probabit ex locis communibus.

Alter locus commendationem habet, ostendendum per hunc erit, aduersarij sententiam pugnare cum veritate, vtilitate, honestate. Deinde cõflictio ponenda: aduersarij stultam, iniquam, pugnantem esse sententiam: nostram vero veram, opinionibus consonam, æquam, non dissentaneam demonstrandum erit.

De Translatione.

INuenitur & translationis status, qui ad qualitatem quoque pertinebit, cum actio commutationis indiget: quod non aut is agit, quem oportet, aut apud quos, qua pœna, qua lege, quo crimine, quo loco, quo tempore oportet. Exempli causa Titius decedens, hæredem filium instuit bonorum omnium. Frater Titij debitorem eius compellit ad soluendas sibi pecunias, quas Titio debebat. Non es hæres debitor inquit, non potes agere hoc nomine, agat hæres. Non negat debitum sed transferri actionem postulat. Hic Iurisperiti consulendi erunt. Loci huius status sunt effecta, leges, mores.

De Ratiocinatione.

IS status fit cum ex eo quod scriptum est, ad id quod nusquam scriptum est peruenitur, & sine vlla certa lege per similitudinem, quam cum aliqua lege habet, res qualis sit iudicatur: vt lex est qui Tyrannum occidit, premium petat. Quidam duos occidit, duo premia petit. Hoc lex nō dicit, sed ex eo quod scriptum est, ad id quod non scriptum sit peruenitur. Loci huius status sunt à simili, à consequenti, à contrario, à maiori

ad minus.

ad minus, à minori ad maius, qui loci Oratori cum Dialectico communes sunt.

De Statu Iurisditiali.

STatus Iurisditialis fit, cum de re præterita instituitur controuersia, vt vim fecisti: de suo enim fundo patrem deiecisti iniquè. Non iniquè deieci. Habet partes duas. Absolutam & Assumptiuam.

Status Absolutus fit, quando quid absolutè iurè factum probatur, vt accersitur læsæ Maiestatis Rabirius, quod Saturnium occiderit. Respondet iurè occisum esse Ciuem seditiosum. Loci huius sunt, natura, lex, consuetudo, iudicatum, æquum & bonum, pactum.

Assumptiuus est status, quando malum, & peccatum fatemur, aliquo tamen foris adiuncto argumento defendimus: vt comparatione, translatione criminis, remotione, & concessione. Comparatio est, quando in nos culpam recipimus: sed ostendimus, ex duobus malis, alterum faciendum fuisse: & id quod fecimus, vtilius & commodius fecisse, vt ille Imperator, cui cum afligeretur oppidum peste, Medici persuaserunt, vt combureret vrbem propter purgationem cœli, seruatis delubris Deorum, exussit vocatus in iudicium. Translatio est

fatio est quando non negamus factum, sed culpam in aduersarium remouemus, eiusque iniuriis nos coactos fecisse dicimus. Remotio est, quando culpam aut in hominem, aut in rem transferimus, vt legatis aßignata est profectio, his non dederunt quæstores sumptum, legatione igitur illi functi non sunt. Conceßio est quando factum ipsum concedimus, sed tamen conamur nos purgare vel illud deprecari. Eius partes sunt duæ, purgatio & deprecatio. Purgatio est, quando ipsum factum confitemur: nec tamen nos consilio fecisse ostendimus, sed causam facti, vel in fortunam transferimus: vt ille Imperator: prælium inquit aduersum feci, victus fortuna non virtute: vel imprudentiam, vt occidi Ciuem, sed hostem putaui: vel in neceßitatem, vt non veni sed aquis impeditus. Deprecatio est, cum simpliciter vt nobis ignoscatur petimus: Hæc non habet locum in legitimis iudiciis: habet tamen in liberis disceptationibus. Legitima iudicia sunt, quæ legibus adstricta sunt, & secundum leges debent fieri: vt Milonis & Rabirij. In his Iudices sunt iurati, quos necesse est pœna eum afficere, qui peccatum confitetur, & nihil inuenit in quod peccati causam reiciat.

Quid seruandum est in assumendis Argumentis, ex his locis.

Non om-

NOn omnibus vtetur Orator iis locis, iudicio enim & ratione promenda sunt argumenta, ne aut plus, aut minus sumatur quam oportet. Inuentio enim sine iudicio copiosa esse potest, grauis & efficax esse non potest. Videndum igitur quod genus sit argumenti, quod firmum, quod infirmum: deinde quo loco firmiora quo infirmiora sint ponenda: quibus argumentis, apud plebem, quibus apud Senatorem, & Imperatorem esset vtendum. Multa namque dici possunt ad propositum, sed ea tamen potißimum seligenda, quæ magis causam adiuuant & confirmant: nec enim omnia simul profundenda sunt, & temerè. Et quemadmodum non quæuis vestis cuiuis corpori apta est, ita non omnibus causis, ex omnibus locis conueniunt argumenta. Nec statim est bonus dux qui non legit ad bellum pueros, senes, mulieres, & inualidos: sed qui ex his robur aliquod præseferunt & optimos quosque ac fortißimos eximere nouit, & in album referre, sic argumentorum delectu parum est ea, quæ nullis sunt viribus reicere, nisi & ea quæ leuiter pugnant prætereas. Quum autem vacabit tempus, omnibus qui arma ferre possunt erit locus: non vt in delectu, sed vt in tumultu. Iis ergo argumentis aptè vtetur per singula genera quæstionum, quæ

num, quæ à locis suppeditabuntur. Cic. in 1. Topic. ostendit qui loci quibus generibus conueniant, ad coniecturam docet maximè apta esse argumenta, quæ ex causis, ex effectis, & coniunctis sumi possunt. Ad definitionem pertinet ratio definiendi, antecedentia, repugnantia, causæ, & effecta. Ad qualitatem genera bonorum & commodorum, omnis æquitas, leges atque mores. Quintil. ex communibus leuia argumenta à coniugatis esse putat: tamen obseruabis, causam vnam leuia aliquando habere argumenta, quæ in altera grauia inueniuntur.

De altero fine inuentionis Oratoriæ, Motu videlicet.

Motus est concitatio seu commotio animi à recta ratione auersa. Eius genera sunt quatuor, Voluptas, molestia, metus & cupiditas. Differūt inter se duobus modis. Primo, Tempore, Voluptas enim & dolor sunt præsentis temporis, Metus & cupiditas futuri. Secundo, qualitate, voluptas enim & cupiditas, sunt rerum bonarum. Molestia & Metus rerum malarū. Voluptas est motus animi adferens delectationem ex præsenti bono. Species eius sunt, Gaudium, Lætitia, Maleuolentia, Delectatio & iactatio. Molestia

est motus

est motus adferens animo dolorem ex præsenti malo. Eius species sunt. Inuidia, Obtrectatio, Æmulatio, Misericordia, Angor, Luctus, Mæror, Erumna, Dolor, Lamẽtatio, Solicitudo, Molestia, Afflictio, Desperatio. Metus est motus animum excrucians expectatione futuri mali. Eius species sunt, Formido, Conturbatio, Examinatio, Pauor, Timor, Pudor, Pigritia. Cupiditas est motus oblectans animum expectatione futuri boni. Eius species sunt: Ira, excandescentia, odium, inimicitiæ, discordia, indigentia, desideriũ.

Diuisio Motuum.

Motus alij sunt mitiores, Alij vehementiores. Mitiores sunt, qui leniter animos auditorum afficiunt, eosque permouent, aut ad voluptatem: aut ad dolorẽ aliquẽ: quorum locus est in exordiis & in scriptis Comicorum, Ii sumuntur ex ipsa natura, vita, consuetudine, institutione, atque moribus hominum: vt cum Cic. pro M. Marcello signat mores suos, vitam Cæsaris, Marcelli: non solum amabilem & iucundam Orationem reddit, sed etiam aptam ad beneuolentiam conciliandam. Vehementiores motus sunt, qui animos auditorum vehementer perturbant, quorum locus est in perorationibus, amplificationibus: tum

scriptis Tragicorum. Ij sumuntur ex his rebus, quæ aut insignem calamitatem habent, suntque auditu & visu horrendæ, aut insignem fœlicitatem, voluptatem & læticiam.

De Locis ex quibus sumuntur Motus.

SCiendum est ex iisdem locis ex quibus fides fit, animorum commotiones fieri. Placuit tamē quosdam locos peculiares adiicere.
Primus, Definitionum conglobatio: vt gloria, laus est rectè factorum, magnorumque in Rempublicam meritorum, quæ cum optimi cuiusque tum etiam multitudinis testimonio comprobatur: Charum enim esse Ciuibus suis, benè mereri de Republica: laudari, coli, diligi: gloriosum est. Expoliuntur plerunque negatione, remotione, contentione contrariorum.
Secundus, consequentium frequentatio In Antonium. Sed vos moneo patres conscripti. Libertas agitur populi Romani, quæ est commendanda vobis: vita & fortuna optimi cuiusque, quo cupiditatem infinitam cum immani crudelitate, quam iam pridem intendit Antonius: authoritas vestra quam nullam habebitis, nisi hanc retinueritis, si tetram ac pestiferam belluam inclusam &

ſam & conſtrictam dimittatis, cauete. Tractatur plerumque præteritione & comparatione.
Tertius, contrariorum conflictio, vt charum eſſe Ciuibus, bene de Republica mereri, laudari, coli, diligi, glorioſum eſt, metui vero & in odio eſſe, inuidioſum, deteſtabile, imbecillum ac durum.
Quartus, diſsimilium conflictio: vt miſerum eſt exturbari fortunis omnibus: miſerius eſt iniuria: acerbum eſt ab aliquo circum eniri, acerbius à propinquo: calamitoſum eſt bonis euerti, calamitoſius cum dedecore: funeſtum eſt à forti, & honeſto viro iugulari, funeſtius ab eo cuius vox in præconio quæſtu extitit: indignū eſt vinci à pari, aut ſuperiori, indignius ab inferiore atque humiliore: luctuoſum eſt tradi alteri cum bonis, luctuoſius inimico: horribile eſt cauſam capitis dicere, horribilius priore loco dicere.
Quintus, pugnantium rerum conflictio, vt in Rosciana ſi ſpoliorum cauſa vis hominem occidere, ſpoliaſti, quid quæris amplius? Si inimicitiarum, quæ ſunt tibi inimicitiæ cum eo? Cuius antea prædia poſſediſti quam cognoſti, ſin metuis, quē vides ipſum ab ſeſe tam atrocem iniuriam propulſare non poſſe.
Sextus, conglobatio ſeu frequentatio cauſarū et effectorum: vt Quid enim ille tuus Tubero diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? cuius

latus ille mucro petebat? qui sensus erant armorum tuorum? quæ tua mens? oculi, manus, ardor animi?

Septimus, similitudines. Exemplum. Qui morbo aliquo & sensus stupore suauitatem cibi non sentiunt? sic libidinosi, auari, facinorosi veræ laudis gustum non habent.

Octauus, Exempla, vt in Antonium memineramus Cinnam nimis potentem, Syllam postea dominantem, Cæsarem regnantem videramus. Erant fortasse gladij, sed tamen absconditi, nec ita multi: ista vero quæ & quanta barbaria est? agmine quadrato cum gladiis sequuntur scutati milites, siccas portari videmus. Sed iam vela libri huius contrahamus, copiosioremque tractationem motuum: vt planius commodiusque præcepta excitandorum mitigandorumque affectuum præscribantur: in exordia atque conclusiones differamus. Et hoc in secundo libro quo loco dicendum sit, videamus.



Paruo fames constat, magno fastidium.

M. ADAMI ROMERII STE-
ZICEN. DE INFORMAN-
DO ORATORE,

LIBER SECVNDVS.

INuenit iam tandem noster quem informamus Orator locos, qui ei materiam copiamque dicendi facilè subministrare poterunt. Vtinam & nos rem magnam, & grauem plurimique otij quo maximè egemus, aliquantulum saltem à laboribus curisque nostris, dum minus licet, fructu eorum honesto potiri, animum cura vacuum, & negotio obtinere possemus. Nam quis non videt nostros labores, tum publicos tum priuatos? quis dubitat nos planè in pistrinum quoddam potius quam in libertatis prouinciam esse detrusos? publica dignitas prouocat, Academiæ maiestas vrget, res literaria monet, ne quidpiam otij non sine nostro communi stomacho, tum scribendi rationi, tum tranquilliori viuendi consuetudini cõcessum iri videatur. Nulla hora solut a curis datur, nihil vnquam nobis omni tempore sine continuis laboribus, perpetuis molestiis propositum esse, videmus. Quid vero illud cum nobis (ago causam literariam) premium ereptũ, aulaquè collatum videmus: raro namque spolia doctos multis exagitatos laboribus, suæ industriæ ac

 contenti-

contentionum consequi conspicimus. Alit potius nostra Polonia cocos, equisones: pluris habet scurras, mimos, circulatores, honestarum artium professoribus. Iam etiam in inprecio precium habetur, Opes addunt honores: hi gradus sunt altiorum, & tu pauper tametsi concomites tibi sint Musæ, iaceas in puluere. Nil prosunt studia, nil conficit eruditio: pecunia vna maior est, quæ si deerit, nemo te videbit: illuderisque insuper crede mihi hac tempestate. Cherilus Poeta, pro vno quoque bono versu, Philippicum ab Alexandro aureum accepit: at nunc tot volumina Poetarū contemnuntur: tot tantique sacri vates sine hædera incedunt. Ennij singulare ingenium effecit, vt ille mortuus poneretur contiguus Scipioni. At nunc ne viuis quidem patet aditus Principū. Fuerunt Poetæ cura Ducum Regumque, nunc inutiles habentur. Alexander à Pindari Thebis bello captis cum vrbis excidio immineret, edixit, vt à pænatibus & eius Familia, omnis vis bellica abstineretur: nunc pace & ocio, palam ædes oppugnare Musis consecratas non verentur. Philosophi quondam intimi Principum fuerunt: at nunc contemptui sunt: Alexandro, Aristotele, Dyonisio Syracusano, Aristippo, Augusto Antenodoro Philosophis præsentibus opus erat: at nunc Philosophiæ incumbere fœdum habetur. Fœlix

illa Respu-

illa Respublica erat, quæ potuit gubernari à Philosophãtibus: at nunc rudibus bonarũ disciplinarum, ebriosis hominibus, grandiq́ue barbare iis neglectis plerośque Magistratus occupatos videmus. Oratoria facultas summo in dignitatis gradu homines collocabat, sine qua nemini licuit peruenire ad amplißima quæque munera. Inde illi Claudij, Lælij, Scipiones, eloquentiam cum arte Imperatoria coniunxerunt, & ita quibusdam gradibus ad cœlum planè hac ipsa eloquentia duce ascenderunt. At nunc nisi euertere scieris vera, falsa tueri, aliorum auribus inseruire, oppugnare non oppugnanda, defendere fœda, infringere bona, oppugnare mala, miser eris. An hominibus is nunc Orator est, qui sapienter, copioseq́ue magna voce, & bonis lateribus dicat, et non potius ille, qui omnibus modis, nullam rationem habens æquitatis, nouerit optimas causas ingenij calumnia ludificari? In summa, in ea tempora incidimus, vt affirmandum sit illud esse verum, quod Poeta dicit: Pœnituit multos vanæ steriliśque cathedræ. Pœnitet senes laborum, qui amißis viribus, laboribus ætateq́ue confecti, fructum virtutis industriæq́ue nondum sentiant. Iuuenum spes est cur infringatur, & industria languescat, Honor crede mihi alit artes: & quo minus honoris vnquam fuerat, eo minus feracia

ingenia

ingenia fuisse certum est Non defuerant ingenia nec desunt: at quis tibi aderit Mecænas? An censemus non multos nostram Poloniam ferre, posseque alere Cicerones Marones: facile crederem & nostra Cracouiensi arura Theophrastos, Aueroes, Scotos, dare posse: Smma atque excellentia ingenia videbis, modo debitũ virtuti premium adsit. Admiramur exterorum ingenia, at domesticorum deplorandam studiorum rationem non videmus, quæ longè sunt in alia fortuna, atque eorum dignitas postulat. Victo post prælium Dario Princeps orbis terrarum Alexãder, cũ scrimiũ in Regia præda auro & gẽmis fabrefactum inuenit, sciscitatus ab iis qui Persicæ erant luxuriæ non ignari, Ecquinam essent tam preciosi operis vsus? qui dum Regia audiuit in eo vnguenta seruari solita: quin inquit rei magis preciosæ sit post hac custos, Homerum in lucullo clausit. Dignus me Hercule ille erat, qui præconem quem Æacide inuiderat esset aliquanto sortitus. Nam, quod studio literarum vnguẽto vtilius? quod preciosius? quod quæso harum similem odorem eructabit? variosque morbos, vulnerumque varia animi genera curabit? earum æquum esset Regiam prædam custodem & amplificatricem esse. Sed iam grauius in hæc sæcula dicere non est sententia, quum omnibus iam

constare

constare, maiora premia ignorantiam, eruditione sancta comitari video. Me interim nec communis dolor, nec cuiusquam iniuria ab honesto abducet: quum demceps ad cætera, vt quod libenter faciamus, transire æquum est: & in hoc altero libro digitos ad collocationem intendere: cuius tanta vis est, vt tantum illi tribuerit Antonius secundo de Oratore, quantum Demosthenes pronunciationi: hæc enim perspicuitatem & victoriam comparat, hæc instar neruorum est, in qua vt in instruendis militibus Pyrrhus Epirotarum Rex, ita Hortensius excelluit.

Quid Collocatio, & quotuplex sit.

ERit igitur secundum quod videbit Orator, quo loco quid dicat, quod fundatur in collocatiõe, quæ nihil est aliud, quam rerum inuentarum artificiosus ordo, aptaque & concinna dispositio, cuius maximus est vsus. Nisi enim inuenta recto ordine tractentur, offundunt tenebras auditori: vt neque quid tu dicas, neque quid ille de causa statuat intelligere possit. Porro omnis collocatio aut est partium Orationis, aut Argumentorum, aut partium Argumentationis.

De Collocatione Partium Orationis.

IN Partibus Orationis duo sunt Collocationis genera, vnum ab institutione artis profectum, quod fit, cum ex solenni arte, & suo naturali ordine in hunc modum partes disponuntur orationis: vt Exordium primum sit, Secunda Narratio, Tertia Diuisio, Quarta Confirmatio, Quinta Confutatio, Sexta Epilogus seu peroratio. Alterum ad casum temporis accommodatū, cum scilicet mutatur partium Orationis consuetus & solennis ordo, vt Cic. pro Milone statim post exordium cōfutauit quatuor quæ aduersarij obiiciebant, quod nisi fecisset, iratos auditores & aduersos habuisset. Sic Ilioneus apud Virg. 1. Æneid. Mox á principio deprecatur suspicionem prædonum. Fit quoque mutatus ordo partium Orationis, cum earum aliqua omittitur, vt pro Marco Marcello omissa est Narratio, vel quod offensiones commemorari fuerit inutile, vel quod res ipsa nemini fuisset incognita. Partes vero Orationis, aliæ sunt quæ valent ad rem docendam, vt Narratio, Diuisio, Confirmatio & Confutatio: aliæ ad impellendos animos, seu commouendos affectus, vt Exordium et Peroratio: Optimus est enim Orator, qui dicendo animos audientium, & docet, & delectat, & permouet. Docere debitum est, delectare honorarium, permouere

necessarium

necessarium. At delectabit Orator in omnibus partibus Orationis, & ideo ad nullam certam adstringitur, sed solutum est hoc munus, & per omnes partes liberè spatiatur, & in omnibus tanquam suauißimum doctrinæ & affectuum condimentum aspergitur.

DE EXORDIO.

QVoniam collocandi ratio consistit, primo in partibus Orationis, has quoque principio videbimus: quarum primas tenet exordium, quod nihil est aliud, quam pars Orationis, qua animus auditoris præparatur ad audiendum: Estque duplex, Rectum, quod apertis Rationibus constat, & Obliquum, quod dicitur insinuatio, & fit occultè ac per dißimulationem. In exordio igitur qualitas causarum spectanda est, quæ sunt vel honestæ, vel dubiæ, vel turpes, vel humiles. Recto exordio vtendum est, in causa honesta, Obliquo vero, vel cum causam turpem habemus, vel cum persuasus est auditor ab iis, qui ante dixerunt, vel cum est defessus.

Fines propter quos constituuntur recta Exordia.

BEneuolentia, Docilitas, & Attentio hæc inuenit,

uenit, eo enim inuenta sunt, vt amicè, intelligenter, & cum diligentia seu attentione audiamur.

Præcepta quibus comparatur beneuolentia.

BEneuolos auditores reddimus à nostra: ab aduersariorum, auditorumque persona. A nostra persona comparatur beneuolentia tripliciter. Primo cum referimus nostrarum personarum merita, dignitatem, virtutem aliquam, vt officium, iustitiam, fidem, facta præclara. Secundo, quando patetica sunt principia commemorandis miseriis, paupertate, solitudine, incommodis nostrarum personarum. Tertio, quando imus obuiam vitiis nostris personis obiectis, aut tollendo ea argumentis, aut extenuando, aut compensando melioribus oppositis, aut deprecando. Ab aduersariorum personis hoc est accusatorum, & aliorum etiam eo fine beneuolentiæ deducemus exordium, si eos vel in odium adducemus perfidiæ, iniusticiæ, neglecti officij, illiberalitatis, crudelitatis, atque indignitatis significatione: hic tamen vitanda est amarulentia. Ab auditorum persona seu disceptatorum Exordium erit, si eorum virtutem laudabimus, resque ab illis fortiter, sapienter, mansuetè gestas ostendemus: tum quanta sit de illis

sit de illis existimatio, & eorum authoritatis expectatio. Sed hic vitanda est nimia assentatio.

Praecepta quibus comparatur docilitas.

P*Rimo ordiendum est à rebus ipsis, & à principio genus, naturaque causæ complectenda, vt in 4. Philip. fundamenta sunt iacta reliquarum actionum. Nam & hostis à Senatu nondum verbo appellatus, sed re iam iudicatus Antonius. Secundo definiendum genus causæ: vt 6. in ver. definit furtum. Venio nunc ad istius quemadmodum ipse appellat studium, vt amici eius morbum & insaniam, vt Siculi latrocinium, ego quo nomine appellem nescio. Nego in Sicilia tota vas vnum argenteum fuisse. Hîc furtum definit. Tertio diuidenda à principio causa, vt 1. Philip. Antequam de Repub. dicam, ea quæ dicenda hoc tempore arbitror. Exponam vobis breuiter consilium profectionis & reuersionis meæ. Quarto si fugiet Orator, ne prudentia auditoris, confusione partium impediatur: obest enim confusio intelligentiæ. Quinto si fugiet ne multa proponantur, impedit enim memoriam multitudo. Sexto si verbis vtatur vsitatis, periodis moderatis.*

Præcepta quibus comparatur attentio.

PRIMO magna proponenda, vt pro Marco Marcello. Tantam enim mansuetudinem, tam inusitatam inauditamque clementiam &c. Secundo. Necessaria proponenda, vt 3. Philip. Serius omnino patres conscripti, quam tempus Reipublicæ postulauit: aliquādo tamen conuocati sumus, quod flagitabam equidem quotidie: quippè cum bellum nefarium, contra aras & focos, contra vitam fortunasque nostras &c. Tertio. Coniuncta cum ipsis apud quos agitur referenda, vt in Ver. Quod exoptandum maximè Iudices, & quod vnum ad inuidiam vestri ordinis, infamiamque Iudiciorum sedandam maximè pertinebat: id non humano consilio, sed propè diuinitus datum, atque oblatum vobis summo Reipub. tēpore videtur.

Quæ sunt obseruanda de iis finibus Exordiorum.

PRimum eos non solum esse principiis proprios, sed etiam communes aliis partibus Orationis, maximè vero cum transitus fit ad aliam partem: idque tum rogando, tum agendo: vt in Catil. 1. descendendo ad secundam partem confirmationis inquit. Percipite quæso diligenter quæ dicā, & ea

penitus

penitus animis vestris mentibusque mandate. Et enim si mecum patria, quæ mihi vita mea multo est carior, & reliqua. Comparat hic attentionem rogando, dum rogat: agendo dum dicit sibi patriam, æquè vita sua charam esse.
Secundum non vbique hæc tria obseruari solent, nam sæpè Orator vno atque altero contentus est fine. Tertium, fines Exordij qualitatibus causarum sunt accommodandi. Nam si qualitas causæ erit dubia, Oratoris cura erit, animum iudicis seu auditoris, amicum facere, attollereque eam partem quæ honesta est, dißimulata vel quam maximê poterit oppressa parte, quæ turpitudinem habeat. Exemplum. Filius patrem senem aluit, deserto patre, religionem ingreditur, impietatis accusatur. Defensio. Si apud gentes summa fuit religionis obseruatio, quanto magis in Christi fide, religio omnibus erit anteferenda? vel ignoramus excellentem D. HIERONIMI sententiam, qui vel calcato patre, si forte in limine iaceat, ad religionem euolari iubet; quod solum pietatis genus sit eo loco esse crudelem. Hoc etiam Cic. dicturus pro Milone seruauit, quoniam causa dubia erat, à parte honestatis, exorditur, vereri se dicens: ne turpè sit minimeque deceat, pro fortißimo viro dicere incipientem timere. Cum ipse Titus Annius magis de Reipublicæ salute,

tæ salute, quam de sua perturbetur. Partem turpitudinis omnino præterit, & quod defensurus eum accederet, quem hominem occidisse constabat. A beneuolentia igitur cum pro viro fortissimo dicere inciperet, initium constituit. Si humilis attentio maximè captanda est, quia humilia negligenter & cum contēptu accipere auditores solent: vt vocat quispiam in iudicium, accusatq; hominem qui ouum aut gallinam abstulerit excitabit initio, si dicet. Nolite putare Iudices me rem vilem in iudicium deducere, cum in furto animus pensetur, non factum, vt volunt Iureconsulti. Adde quod qui in minimo fuit iniquus, quomodo sperabitur æquus in multo? Hoc & Poeta optimus in Geor. seruauit, de Apibus enim re apprimè humili scripturus, auditorem Mecænatem attentum facit his versibus.

Protinus aerei mellis cœlestia dona,
Exequar, hanc etiam Mecænas accipe partē.
Admiranda tibi leuium miracula rerum,
Magnanimosq; duces, totius ordine gentis,
Mores & studia, & populos, et prælia dicam.

Si honesta qualitas causæ erit, principium omittere possumus, eò quod auditoris animus nisi sit improbus honestati vltro succumbit, & in animum boni viri, vel si nuda sit honestas illabitur: & quemadmodum vino vendibili hædera suspēsa opus

sa opus non est, ita veritas quo est simplicior, hoc eius efficatior Oratio. Hoc fecisse Ciceronem actione 6. in Verr. constat & in Philippicis omnibus, præter primam & secundam, vbi principiis ferè nullis, vel breuißimis vsus est.
Si vero turpis, hæc non permittit vti aperto principio: si quidem alienus à nobis prorsus est animus auditoris, aut esse creditur. Insinuatione itaque vtendum est, & quibusdam descendere ad causam circuitionibus. Quod Cic. in Verr. act. fecit: non enim omnino sibi decorum putabat accusare Verrem, quem Hortensius, & alij Consulares viri defenderent, suamque causam probarent: præsertim cum tam acerbè tot Orationibus eum insectatus sit, quamobrem multa de officio accusatoris disserit, indeque ad accusationem delabitur.

Præcepta Insinuationis duo.

PRimum circumstatiæ notandæ, vt sunt: tempus, locus, res, interuentus, alicuius interpellatio, & dictum aduersarij in peroratione. Sic Cic. à tempore pro Cælio, à loco pro Deiotaro, à re, scilicet præsidiis armatis pro Milone, ab interuentu in Verrem, qui præter opinionem venerat in iudicium. Interpellatio est 4. Philippica, cum enim pro-

nim protulisset hostem iudicatum Antonium Cic. & populus acclamando interpellasset adiecit: Nunc vero multo sum erectior, quod vos quoq; hostem illum esse tanto consensu, tantoque clamore approbauistis. Ab aduersarij dicto, Philip. 9. nihil præter sententiam dicerem, nisi Pub. Seruil. respondendum putarem, qui hunc honorem statuæ nemini tribuendum censuit, nisi qui ferro esset in legatione interfectus. Alterum est amplificatio, quæ cum suis locis potest ad principia transferri: sæpè enim primo loco rectè ponuntur.

Loci ex quibus sumuntur Exordia.

Hermogenes grauissimus dicendi Magister, quatuor locos constituit.

Primus, ex opinionibus: quæ quidem vel ex personis, vel ex rebus sumi solent: idcirco etiam Oratorem oportet diligenter spectare causas, & personas, tum & earum naturas: vt quæ de illis opiniones susceptæ sint, facilius intelligat, iisque in conficiendo exordio commodius vtatur. Hæ autem opiniones aut erunt inueniendæ, aut exaggerandæ, aut affirmandæ, aut negandæ. De quo exordij genere hoc obseruari licet, illud cum re ipsa pulcherrimum, tum vsu frequentissimum esse: hoc

esse: hoc idem per occupationem à Rhetoribus dicitur. Exemplum in Oratione pro Sexto Roscio.
Secundus locus ex diuisione, cum diuidimus vel facta, vel opiniones, vel ipsa tempora. Facta, vt cum duobus admissis facinoribus, per ea aliquam accusationem diuidimus. Opiniones in antecedentes & consequentes. Tempus in præteritum, præsens & futurum. Quod genus exordij est ingeniosum, elegans, eruditum: ostendens Oratorem captãtem laudem ingenij, eique multũ dignitatis adferens: vt pro Quintio, pro Cluentio, & 2. libro 4. Act. in Verr.
Tertius locus ex abundanti cum ex eo ordimur, quod est extra causam, volumusque dare significationem æquitatis: vt licet non fuerim reus, tamen quoniam virtute nitor, existimaui sic tecum agere, & respondere. Simile est Virginij apud Liu. Decad. 1. lib. 3. Omnium igitur tibi Ap: claudi quæ impiè nefarièque per biennium, alia super alia es ausus, gratiam facio: vnius tantum criminis, nisi vindices, iudicem te ab libertate in seruitutem contra leges vindicias non dedisse, in vincula te duci iubeo. Quod genus Exordij Oratorem efficit bene moratum, estque iudiciorum proprium, vt 2. in Verr.
Quartus locus à circumstantiis seu attributis causæ vt tempore, loco, interuentu, alicuius, interpel-

 latione,

latione, forma iudicij, dicto aduersarij, sententia generali. Quod genus exordij, Oratorem eruditum, nec suspectum de fide ostendit: multumque potest ad ipsius occultandum studium, & artificium: Cum non domi conquisitum aut conscriptum, sed quasi ex tempore natum esse videatur: vt pro Marco Marcello.

Præceptum de iis locis.

HI omnes loci aliquando in vnum exordium incidere solent, quod videre licet in Miloniano exordio, vbi & opiniones de se, de Pompeio, & diuisiones, & circumstantiæ, insertæ sunt. Ex quo constituitur duplex exordium, aliud purum, aliud impurum. Purum vocatur, vbi solum ex singulis fontibus effici solet. Impurum autem, vbi aut duo, aut tres, aut omnes quatuor coeunt.

Quot ex partibus constare debet Exordium.

HErmogenes quatuor partes statuit, ex quibus constant Proœmia, quam partitionem Sturmius ita commendat, vt siue Ciceronis, & aliorum exordia, cum Rhetorica Analisi legimus, siue stylum in manus sumimus, siue aliquid nobiscum

biscum meditamur, nunquam nos ab iis diggredi velit. Sunt autem hæ, Protasis seu propositio, Catasceue seu confirmatio propositionis, Apodosis seu reditio siue assumptio, Basis seu sustentamentum. Protasis est prima pars exordij, in qua fit expositio aut opinionum, aut diuisionis, aut abundantiæ, aut circumstantiarum, aut attributorum causæ, vt pro lege Manil. Abhorrebam à dicendo. Et oportuit Catilinam iam diu mori.
Catasceue est, quæ expositione non solum vnius: sed etiam multarum causarum conficitur: vt Quia videbam hîc omnia oportere adferri elaborata, Et quia Catilina temerarius ciuis; quia furibundus, quia Senatus consulto damnatus.
Apodosis est quasi aduersaria propositiõi. In hac vel postulat, vel præcipit, si tantum habet authoritatis Orator: vt, sed me recreat vestra beneuolentia. Et non prius tamen Catilina occidetur, quam eius scelus patebit.
Basis est, in qua & superiorum exitus, & transitus ad sequentia, ne ex abrupto in partes Orationis irruatur complectuntur. Vt ergo apud vos dicam. Et potius itaque Catilina vrbem relinquat. Hæ autem partes quatuor includuntur Entymematibus, ita, vt in propositione, & ratione vnum: in aduersatiua & conclusione alterum lateat. Ac quidem hoc secundum Entymema de-

ma debet habere aditum ad causam aptißimum. Aliquando etiam omittitur, propterea, quia vnum quidam sunt re ipsa haec duo Entimemata. Exordia quoque, quae pluribus propositionibus effluant, ea solent esse gratiora, videlicet quae in illis inseruntur principalibus, vbi dubitationes, gratulationes, occupationes locum obtinent.

Virtutes Exordiorum quinque.

Prima, Principia dicendi, tum accurata, & acuta, tum instructa sententiis, & apta verbis, citra tamen ostentationem esse debent: prima enim est quasi commendatio & cognitio Oratoris in principio, quae continuo eum qui audit permulcere atque allicere debet.

Secunda, non sint vehementia & pugnantia, nihil enim in natura rerum omnium, quod se vniuersum profundat, & quod totum repentè euolet: sic omnia quae fiunt, quaéque aguntur, acerrimé lenioribus principiis natura praetexuit. Quod qui non obseruant, in animisque non praeparatis, affectus excitare contendunt: furere & debacchari inter sobrios videntur. Non tamen illa oportebit esse contra languida, frigida, & iacentia, ne statim initio auertantur animi illorum qui admoueri debent. Exordium enim vehementer delecta-

delectatur temperato genere dicendi. Item affectibus quos Græci Itos vocāt, nostri moratos, significatione enim morum vitæ, cum suæ, tum aliorum, non solum amabilem & iucundam Orationem reddit, sed etiam aptam ad beneuolentiam conciliandam. Cæterum diuersitas tēporis, materiæ, personarum, hæc præcepta rumpit: sæpè enim eadem sequitur Orator, sed non eodem modo, vt in Catil. 1. adhibet genus dicendi graue, vehemens, incensum, quo rapidus fertur, & nullo pacto sustinetur.

Tertia, vt sint cum ipsa causa coniūcta, non extrinsecus aliundéue quæsita, sed ex ipsis visceribus causæ sumpta.

Quarta, vt sint ad causam proportionata, sunt enim tanquam vestibula.

Quinta, vt splendoris, & festiuitatis minimum habeant: ex his enim suspicio artificiosæ diligentiæ nascitur, quæ maximè Orationi fidem, Oratori authoritatem adimit. Quintilianus lib. 4. cap. 1. argumentis locum esse negat in Exordio. Sed sciendum est, Oratores interdum non sequi præcepta, non quatenus non liceat, sed quatenus non vtile putant: neque enim istud scriptores artium, quia non liceat, sed quia non putant vtile, vetant. Ita si vincet vtilitas, propter eandem causam facere debebimus, propter quam vetamur.

Vitia Exordiorum septem.

VVlgare, commune, commutabile, longum, separatum, translatum, & contra præcepta.

De Narratione.

NArratio est rei factæ, aut non factæ, vtilis ad persuadendum expositio.

Genera Narrationis duo.

VNum verum, alterum verisimile. Verum genus narrationis est, quod factum est, quale apud Historicos, vt cædes Clodij, Ciceronis, Cæsaris. Verisimile est, quod fieri potuit, quale est apud Homerum, & alios Poetas: non enim semper res veræ narrantur, quæ gestæ fuerint, sed etiam quæ geri potuerunt, vt in Comædiis & Tragædiis, vel exercitationis causa, quod Zophistæ faciunt, vel confirmationis, vt pro Lege Manil. Cic. de Medea.

Species Narrationis.

IN vnoquoque genere duæ sunt species Narrationis, quarum altera simplex, quæ rem vt facta est, sine rationibus, Syllogismis, & apparatu expo-

tu exponit: vt in Catil. 3. Introduxi Vulturcium sine gallis, fidem ei publicam dedi, hortatus sum, vt ea quæ sciret, sine timore indicaret: tum ille dixit, cum se ex magno timore recreasset, & reliqua. Altera apparata, quæ argumenta & cōfirmationes adhibet, vt videatur quodam modo testata loqui: vt ibidem facti causam subiungit dicens. Lentulum autem sibi confirmans se ex fatis Sybillinis &c. Quocirca mistam esse illic speciem Narrationis constat, vt plerumque vsu euenire solet. Simplex autem est in Oratione pro Lege Manil.

Partes Narrationis tres.

PRima, aditus seu præparatio Narrationis. Secunda, ipsius rei gestæ & causæ expositio. In omni autem expositione est principium, medium & finis. Ea namque quæ præcesserunt totum negotium, & quæ subsequuta sunt, considerari etiam solent, si causæ prosunt. Veluti narraturus de bello inter G. Cæsarem & Pompeium gesto. Primum docet præcedentia totum bellum, vt fuit repulsa Cæsaris, principium cæpit in conscribendis militibus, actum est per aliquot annos, finem accepit in interitu Pompeij & liberorum eius. Subsequutæ seruitutes, egestates, exilia ciuium

lia ciuium Romanorum, & Reipub. oppreßio. Tertia Exitus Narrationis, qui constat summa eorum, quæ ante sunt latius exposita, & constitutione, tum partitione rei, de qua est controuersia, Exemplum vide in Oratione Maniliana. Causa quæ sit videtis, nunc quid agendum sit considerate &c.

Officia Narrationis duo.

P*Rimum res gestas exponere. Secundum, Continere semina omnium argumentorum, quæ in confirmatione sunt copiosius explicanda: est enim narratio, quasi sedes ac fundamentum confirmandæ fidei.*

Virtutes Narrationis quatuor.

Q*Vatuor sunt sine quibus nusquam potest esse optima narratio: Perspicuitas, Breuitas, Probabilitas, & Suauitas.*

De Perspicua Narratione.

P*Erspicua Narratio est, quæ facit, vt vnum quodque puré, & apertè intelligamus, cuius præcepta sunt tria.*
Primum, Vt verbis propriis & vsitatis vtamur: quoniam hæc sola rem apertè designant.

Secundum,

Secundum, Cauendum est ne dispositio obscuritatem aliquã adferat, quin immo danda est opera, vt eam incisis, membris & periodis rectè concludamus, & quid prius, quid posterius factum sit, ordine exponamus: sæpè enim turpiter ordo conuertitur: vt si peperisse narres, deinde concepisse: apertum testimonium, deindè resignatum. Interdum tamen Orator præpostere narrat, vt nouitate narrationis excitet Cic. in peroratione Catil. 4. iudicij non artis seruat ordinem in rebus narrandis: Posterius enim narrat quæ primo gesta sunt, dum dicit: Sit Scipio clarus ille, cuius consilio & virtute Annibal in Africam redire atque ex Italia decedere coactus est &c. Sed Cicero potest excusari: quia videbat in Scipione præposterum consilium, eam quoque narrationem adhibuit de Annibale, quæ præpostera esset, vt nouitate narrationis auditor admoneatur consilij in Scipione magnitudinis. Lucij quoque Pauli victoria fuit prior quam est delata. Numantia: quem in exemplum posterius adducit Cic. quod idcirco existimo eum facere, vt simul laudet vtrumque Africanum, & maiorem & minorem. quo in loco maxima est Emphasis expositionis: hoc tamen non cuique imitandum licebit.

Tertium, præcepta breuis narrationis seruanda sunt.

De breui Narratione.

BReuitatis finis est memoria auditorum.
Præcepta vero breuis Narrationis sunt tria.
Primum simplicibus verbis vtamur, itaque vitanda hic, Periphrasis, Simonimia, Epiteta.
Secundum, Semel vnamquamque rem dicamus.
Tertium, nulli rei quam vt dilucidè dicamus seruiendum est, quod fit, cum incipimus narrare, vnde necesse est: Summatim non particulatim, non ad extremum, sed eousque quo opus est prosequimur, prætereundo illa quæ nihil adiuuant: longitudo namque impedit memoriam.

De probabili Narratione.

HÆc efficit, vt ea quæ narrantur ab Oratore, vera esse videantur, præcepta eius sunt vndecim.
Primum, vt personis consentiant ea, quæ narrantur: vt 3. in Verr. narratio de Lampsaceno Philodamo, cuius filiam Verres rapere volebat. Omnia ista præcepta expressa sunt, raptus idoneis personis tribuitur, Rubrio homini facto ad Verris libidines, qui miro artificio quocunque venerat, has solebat inuestigare.
Secundum, vt temporibus consentiant: vt postea

quam satis calere res Rubrio visa est: quæso inquit Philodame, cur non ad nos filiam tuam introuocare iubes? Nocturnum tempus post cœnam lautiorem, cum frater abesset & propinqui. Consentiunt hæc cum iis quæ narrantur.
Tertium. Vt locis consentiant, vt & simul seruis suis Rubrius, vt ianuam clauderent, & ipsi ad fores assisterent imperat. Deinde vt Verres Philodamum vocaret in Asiam, vt iniquitate loci facilius damnaretur. Constituitur inquit in foro Laodicæ spectaculum acerbum, & miserum, & graue toti Asiæ prouinciæ.
Quartum, facti & euenti causa ponenda est, vt Lampsaceni sedati & quieti ciues. Ergo ad otium potius, quam ad vim accommodati. Filia fuit eximia, Ergo præter cæteras placuit. Breuiter, nihil dictum est sine causa in illa Oratione.
Quintum, Testes. Vt Ciues Romani qui Lampsaci negotiabantur sic referunt, Cicero ea se Lampsaco cognouisse dicit, G. Varro ex Philodamo audiuit.
Sextum, Cum hominum opinione coniuncta sint ea quæ narrantur: vt hostes ianitor qui nihil suspicaretur veritus, ne quid in se offenderet Verrem, summa vi retinere cœpit: & iuuentus est nemo cuius non hæc & sententia esset & Oratio: non esse metuendum.

Septimum

Septimum, Cum authoritate sint coniuncta, vt quanta authoritas in Philodamo, & in tota ciuitate fuerit, narratur ab Oratore, & Verres authoritate quia legatus erat Philodamum vicit.

Octauum, Cum lege & more consentiant: vt lex hospitalitatis à Philodamo seruatur, Rubrius tãto de more tractatur, bibitur Græco more: & hic Philodamus posteaquam ius suum obtinere non potuit, vt humanitatem consuetudinemque suam retineret.

Nonum, Cum religione consentiant, vt impudens Rubrius spernit hospitalem religionem, eam conseruat homo existimatione princeps apud Lampsacenos.

Decimum, Probitas narrationis significanda. Sic Cic. suam probitatem significat his verbis. Nemo iam Dolabella, neque tui, neque tuorum liberorum (quos tu miseros in egestate atque solitudine reliquisti) misereri potest.

Vndecimum, Antiquitas memoriæ, veritas Orationis, vita fidesque significanda, vt Adrianus quod eius auariciam ciues Romani ferre non potuerunt, Vticæ domi suæ viuus exustus est.

De Suaui Narratione.

SVauis Narratio est qua in narrando conci-

liatur ani-

liatur animus auditoris. Eius finis est, Voluptas, & Delectatio.

Præcepta Suauis Narrationis, duo.

PRimum. *Sententiæ debent esse magnæ, quæ habeant admirationes, explicationes, exitus inopinatos, lætos aut tristes.*
Secundum, vt tractentur Dialogismis consiliorum, iracundiæ, lætitiæ, cupiditatis &c. Horum omnium exempla in superiori narratione inuenies, tum in Antonium cum dicit. Nãque ipsum offenderunt temulentum, sopore profligatum, totis stertentem præcordiis, ructosos spiritus geminare.

Quid de Narratione obseruandum.

NArratio *semper debet institui ab insigni aliqua circumstantia, vel à persona, seu nobili, vt in Quintiana Rosciana: seu turpi vt in Miloniana fecit Cic. vel à loco, vt in descriptione Syracusarum. Vrbem fingit Cic. Syracusas maximas esse Græcarum vrbium. Sic Virg. 1. Æneid. Vrbs antiqua fuit &c. vel à tempore.*

De Diuisione.

DIuisio est totius causæ nostræ in partes distributio. Hæc est vel simplex, vel coniuncta. Simplex diuiditur in propositionem & partitionem. Propositio est ipsius status indicatio: vt dicam Clodium iure occisum esse. De hac Fab. lib. 4. cap. 4. Partitio est, quando sine propositione rei vniuersæ, capita siue partes proponimus: vt pro lege Manil. Primum mihi dicendum est de genere belli, deinde de magnitudine, postremo de Imperatore deligendo. Diuisio coniuncta est, quæ seiunctionem habet & distributionem. Seiunctio est, quæ seiungit atque separat id quod in controuersia est, ab eo quod controuersiam amplius non habet: vt occisam esse Clitemnestram ab Oreste filio, conuenit mihi cum aduersariis: sed iurenè fecerit, vel licuerit nè illi facere, id in controuersia est. Distributio est per quam conueniens, ab inconuenienti separatur hoc modo: Orestes ait: negant aduersarij, in patris mei vltionem Clitemnestram iure à me occisam esse: ego autem his rationibus iure esse occisam ostendam, & rationes breuiter enumerat.

Præcepta Diuisionis.

PRimum, vt sit aperta.

Secun-

Secundum, vt sit breuis, verbisque vsitatis. Hic itaque omittenda erunt, illa quæ non posita intelliguntur, vt ostendam hunc reum non voluisse facere cædem, deinde non potuisse, tum non fecisse. Hoc vltimum sufficiebat.

Tertium, vt non sit multiplex, paucitas enim admodum iuuat memoriam, quæ hoc exigit, vt diuisuri vel distributuri, membra potius diuidentia colligamus per genera, quàm per species, vel indiuidua, & positis generibus, species iam sunt minimè necessariæ. Vt si ita partiaris, Ostendam propter cupiditatem, & auaritiam, omnia mala à nobis contigisse. Hæc est vitiosa partitio: quia auaritia sub cupiditate, tanquam sub genere continetur.

Quartum, vt sit absoluta: nihil enim addet, nihil immuet, ab his, quæ confirmabuntur.

Quintum, vt ordine quo confirmaturi sumus, eodem diuidamus.

Obseruationes.

PRima. Et si cæteræ orationis partes aliquando prætermittuntur, nunquam tamen hæc pars prætermitti debet, est enim caput totius causæ, & pars partium necessaria: nisi fortè manifestum sit quod in quæstione versatur, vt Catil. 2.

vbi Cic.

vbi Cicero hanc significanter exprimere neglexit, quia manifestum erat caput quæstionis. Solent quoque Oratores non expresse propositionem ponere, si facile ea conciliari sibi viderint inuidiam: idcircoque eam multo orationis tractu circumducunt.

Secunda. Propositio cum confirmatione sæpè confunditur, vt in petitoria Oratione fieri consueuit. Tertia. Non modo in ostendenda quæstione principali, sed nonnunquam etiam ante singulas partes Orationis: interdum etiam ante argumenta, quæ Epicheremata vocantur, propositione vtimur.

De Confirmatione.

CONfirmatio est difficillima pars Oratorij officij, quæ persuadere Iudici debet, vt propositioni assentiatur. Hæc petenda erit ab argumētorum locis, qui admonent dicentem, vnde sumendæ sint res in quolibet genere causæ, seu potius magno rerum cumulo proposito, quid eligi debeat, quod ad propositum quadret. De his satis copiosè libro primo.

De Confutatione.

Confuta-

COnfutatio est in contrariam partem argumentorum allatorum dissolutio. Tribus autem modis occurrit iuxta Quintiliani præcepta Confutatio. Aut enim expugnatur intentio, aut assumptio, aut conclusio: nonnunquam omnia. Intentio expugnatur hoc modo. Qui Milonem accusabant sic intendebant, non debere lucem intueri qui à se fateretur hominem occisum. Qui defendebant his intentionem expugnabant, Iure occidi eum qui insidiatus esset, & qui eum occiderit, intueri lucem posse. Expugnatur assumptio, omnibus his, quæ de Refutione mox dicemus. Obseruabis autem rationem nonnunquam veram esse, quamuis propositio vera non sit. Aliquando veræ propositionis falsam quoque rationem esse. Vt virtus bona, quia locupletes facit. Veræ intentionis falsa ratio est. Complexio autem negatur, cum aliud colligit, quam id quod ex prioribus conficitur: aut quod ad quæstionem pertinere non videtur. Vt si insidiator est, iure occiditur: nam qui curauit vt vim afferat vt hostis, debet etiam vt hostis repelli. Recte igitur Clodius vt hostis occisus est. Non vtique defensor dicet: nondum enim Clodium insidiatorem fuisse ostensum est. Sed sic vera connexio, rectè igitur hostis vt insidiator occiditur. Sed vt potest esse vera intentio & ra-

tio & ratio, & tamen falsa conclusio: ita si illa falsa sunt, nunquam est vera conclusio: vt Omnes scholastici audiunt, Tu non es scholasticus, Igitur non audis. Propositio vera est, & Assumptum eius verum: sed conclusio falsa: non enim excluditur is, quicunque scholasticus non sit ab audiendo. Si itaque propositio & Assumptio veræ erunt, conclusio falsa esse poterit. Sed eadem si propositio & Assumptio falsa fuerit, vera esse non poterit.

Quæ sunt spectanda in confutandis Argumentis.

NATura Argumentorum præcipuè consideranda erit, quæ aut sunt insolubilia, hoc est quæ refutari non possunt: aut illa quæ facile refutātur. Insolubilia sunt à defensore prætereunda, aut plurimis argumentis obruenda, hoc est, vni argumento accusatoris, plura sunt opponenda. Sunt autem duo genera argumentorum solubilium, aut enim non sunt vera, aut incerta. Non vera sunt duplicia: vel enim sunt prorsus falsa, inestque illis perspicuè mendacium, vt Sextus Roscius patrem occidit, quia patris bona occupauit. Vel sunt ficta, in quibus est aliqua verisimilitudo: vt illud Cic. Cadauer Clodij in Curiam inue-

ctum, vt

ctum, vt eam mortuus intenderet, quam viuus euertere non poterat. Incertorum argumentorũ tria sunt genera. Primum eorum de quorum veritate non constat, eorumque ratio perdubia est, ac ipsum crimen: vt Roscius patrem occidit quia erat inuisus patri. Secundum, quod non pertinet ad propositum, vt sunt plerumque ea, quæ citra personam commemorantur calumniandi causa: eiusmodi sunt argumenta illa, quæ non proposito, sed calumniis seruiunt. Episcopus est malus, Ergo et Ecclesia: Sacerdotes sunt mali, Ergo denegandi sunt prouentus. At paucorũ culpa non præiudicat Religioni. Et, Oratores turbant Respublicas, Ergo Rhetorica est execranda. Sed ineptum sanè est, mentis labem in artis vsum vertere: vel propter scelus hominis artis splendorem tollere. Tertium, Aßyllogistum, cuius est mala consequentia, nihilque concludit: vt erat huiusmoditempus, quo impunè licebat occidere: Ergo Sextus Roscius occidit. Argumenta ergo falsa, & ficta simpliciter neganda sunt, cum vero dubia & incerta sunt, interrogandæ sunt causæ eorum, vel à nobis vel ab aduersariis, & si quæ videntur esse causæ, aut si quas proposuit aduersarius, omnes sunt refellendæ. Aßyllogista argumenta, & quæ ad quæstionem non pertinent, nec quicquam concludunt,

primo sunt diluenda, deinde contemnenda, irridenda, cum aduersario, quod destitutus veris, veritatem suæ causæ in nugis posuerit.

Modi varij Confutationis.

P*Rimus. Per distinctionem, quando in obiectione aliquid ambiguum distinguimus: vt Catulus obiicit Ciceroni, nihil contra consuetudines fieri debere. Cicero distinguit: In pace consuetudini semper satisfieri debet, in bello vtilitati seruiẽdũ. Secundus, Per inficiationem, quando simpliciter ostendimus falsam esse obiectionem aduersarij, & cur sit falsa, causam adferimus. vt, Nego nihil noui debere fieri contra exempla, atque instituta maiorum: nam ad nouos casus temporum, nouorum consiliorum rationes accõmodari debẽt. Tertius. Per instantiam, quando id quod vniuersaliter dictum est, particulari exemplo refellimus: vt si quis dicat, neminem vno aspectu ad amorem impelli: Dicemus, vno aspectu Æneæ, Didonem esse captam. Et Cic. pro leg. Manil. Non dicam duo bella maxima Punicum et Hispaniense ab vno Imperatore esse confecta, duas vrbes potentissimas, quæ huic Imperio maximè minabantur, Carthaginem atque Numantiam, ab eodem Scipione esse deletas.*

Quartus

Quartus. Per eleuationem, quando obiecta aduersarij videmus.
Quintus. Per inuersionem, cum docemus signum, vel causam contra nos allatam, pro nobis facere: vt si occidissem non sepeliissem: satius enim esset relicto cadauere fugere Græci antistrephon appellant. quod genus apud Oratores magnam laudem habet.
Sextus. Quando argumẽtationi firmæ, æquè firmam, vel firmiorem opponimus.
Septimus. Mutua Crimmatio, talis est Ciceronis pro Ligario. quid enim tuus ille gladius Tubero in acie Pharsalica agebat? Exempla in refutatione cum similia, tum superiora, quæ superioribus temporibus acciderunt, cõmemorari debent quod fecit Cic. pro Lege Manil. Exempla enim rei iudicatæ vim obtinere solẽt, erit etiam locus in hac, questioni, & terrori: vt in Rosciana sin autem sic agitis, vt arguatis aliquem patrem occidisse, neque dicere poßitis, aut quare, aut quomodo &c. Conquestione autem vtimur deplorando conditionem: non solum rei, sed etiam ipsorum Iudicum, & vniuersorum ciuium, quod illis commune immineat periculum: & ostendendum maiora immmere, si cupiditas aduersariorum locum habuerit, si ingeniis hominum criminosorum sit exposita.

Quot partibus tractari debet Refutatio?

REFutationis sunt quatuor partes. Protasis. Antiprotasis, Hipophora, Antipophora, vt in Oratione pro leg. Manil. dum expugnat contrariam sententiam Cic. vtitur his partibus.
Protasis, At enim vir clarißimus, Reipub. & vestris beneficiis amplißimis affectus. Hæc est veluti accessus ad Refutationem.
Anthiprotasis, Sed in hac causa, tametsi cognoscitis authoritates contrarias fortißimorum virorum, & clarißimorum: tamen amißis authoritatibus, ipsa re & ratione exquirere poßimus veritatem.
Hipophora, Quid igitur ait Hortensius? si vni omnia tribuenda sunt, vnum dignißimum esse Pompeium: sed ad vnum tamen omnia deferri non oportere.
Antipophora, Obsoleuit iam ista Oratio, re multo magis, quam verbis refutata. Potest quoque esse trium partium: vt in eadem Oratione, euertendo Catuli sententiam. Vtitur Prothasi, dum dicit reliquum est, vt de Quinti Catuli authoritate & sententia dicendum esse videatur. Vtitur Hipophora seu obiectione, dum dicit. Si in vno Gneio Pompeio omnia poneretis si quid de eo factum

eo factum esset, in quo spem essetis habituri? Vtitur Antipophora, dum dicit. Sed in hoc ipso ab eo vehementißimè dissentio, quod quo minus certa est hominum, ac minus diuturna vita, hoc magis Respub. dum per Deos immortales licet, frui debet summi hominis vita atque virtute. Fit etiam duarum partium, hoc est Hipophora & Antipophora, hoc est obiectione & refutatione, vt in eadem refutatione: At enim nihil noui fiat contra exempla, atque instituta maiorũ. Statim sequitur refutatio per exempla. Non dico hoc loco maiores nostros semper in pace consuetudini, in bello vtilitati paruisse: semper ad nouos casus temporum, nouorum consiliorum rationes accommodasse. Non duo bella, &c.

Obseruandum circa Refutationem.

CAVEbit Orator, ne quid cupidè in eos qui contra sentiunt, ne quid insolenter, aut faciat, aut dicat: præsertim si qua sunt authoritate. Immo hi vituperandi non sunt, sed magis extollendi, eos enim cum extollimus, nos metipsos laudamus. Quod Cic. fecit pro leg. Manil. Euersurus enim sententias summis ornamentis, honoris, fortunæ, virtutis, ingeniique præditorum virorum: omnia alia quæ vel ad nominis existimationem, vel eloquentiæ laudem, vel authoritatis amplitudinem spe-

nem spectabant, illis concedit: in hoc solo non sine animi moderatione, & molli veluti articulo, viros taxat, quod priuatis sententiis, publicam postponant vtilitatem: quod in Pompeio quicquam noui fieri prohibebant: in quo tam multa sint publico omnium bono præter exempla facta. Et in Catil. 4. Cæsaris sententiam admodum callidè improbat, vbi spectatur prudentia Oratoris, qui cuius sententiam reiicit, eius personam non offendit.

De Peroratione.

P*Eroratio est artificiosus terminus Orationis. Hæc duplex est: aut enim in rebus, aut in affectibus posita est: cum enim res dictæ breuiter repetuntur, enumeratio appellatur, Cum affectus mouentur, Amplificatio & conquestio vel misericordia nominatur. Obserua Atticos Oratores solum Epilogi seu perorationis genus, quod per enumerationem fit laudasse, quoniam affectus mouere, etiam per præconem Orator prohibebatur. Philosophi vero non vtebantur adeo hac Epilogi parte, quæ in affectibus tota versatur, qa apud eos vitium est affici, nec conuenit viro bono vitiis vti. At apud Romanos ea res nihil loci habuit: quandoquidem auditor & iudex sæpè fit tardior, tum ad ea quæ sunt præstanda, tum ad*

tum ad oppugnanda vitia: ideo affectibus tanquam facibus admotis excitandum: etsi animus rigeret seueritate, ad misericordiam flectendum putauerunt.

De Enumeratione.

ENumeratio est expositio argumentorum in vnum locum contracta, vt res melius intelligatur, & memoria retineatur. Eius finis est, memoria Iudicis.

Præcepta Enumerationis.

PRimum. Vt sit breuis, hoc erit si ex vna quaque argumentatione, quoniam tota recenseri non debet (iam enim non enumeratio sed quasi alia esset Oratio) vnum quodque quod validißimũ est deligatur, vt memoria renouetur.

Secundum, vt sit dilucida, quod erit, si vnum quodque sicut narratum prius, in conclusione repetatur.

Tertium, Vt sit necessariorum: Hoc erit, si nec ab exordio & narratione Oratio repetatur: nam exordium & narratio fermè nihil habent cum causa, sed tantum ad audiendum præparant personam, quam diuisio, confirmatio, confutatio, ad iudicationem disponunt.

Vsus Enumerationis.

EIus vsus est, in omnibus causis: sed vtitur ea lauda-

ea laudator non necessario, quoniam liberæ exornationis est Oratio, & ferè semper aduersario caret. Vtilis tamen est, primo cum quædam conglobata pondus sunt maius habitura. Deinde cum est vtile, capita causæ, quasi vno aspectu intueri. In suasione non sæpè adhibenda est, quoniam huius causæ, minus multis implicatæ sunt controuersiis. Sed cum est causa multiplex, & rationibus numerosa, enumeratione est vtendum. In iudiciis accusatori sæpius, quam reo necessaria est: sunt enim duo enumerationis tempora, vnum cum memoriæ diffidis eorum, apud quos agis, Alterum, cum sparsa per Orationem firmiora argumenta, singillatim & seorsim sunt tractata: tum enim frequentata magis mouent. Diffiditur autem memoriæ, cum vna causa, à pluribus acta est, idque per interuallum, id quod in magnis accidit controuersiis: vt in Quintiana factum est: vel cum prolixa causa est habita, & longa Oratio.

Alterum genus Perorationis Pateticum, hoc est Passiuum.

Hoc genere perturbantur animi, & concitantur: & in quo vno regnat Oratio, quæ Tyrannos, hoc est Regina ab Euripide nominatur, ab Ennio Flexanima, à Cic. omnium Regina rerũ quæ po-

quæ potißimum has vires obtinet in hoc genere: probationes efficiunt, vt causam nostram meliorem esse putent iudices: affectus præstant, vt etiam velint, & id quod volunt credant quoque. Nam cum irasci, fauere, odisse, misereri cœperunt: agi rem iam suam existimant: & sicut amantes de forma iudicare non possunt, quia sensu oculorum premuntur: ita etiam rationem inquirendæ veritatis, amittit occupatus affectibus, & veluti rapido flumine iudex fertur. Est enim Oratio amplificationibus stipata, vehemens vt procella, incensa vt fulmen, incitata vt torrens, qua causæ eripiuntur è manibus obsistentium, quæ cum rapidè fertur, sustineri nullo modo potest. Exempla sunt in Verrem permulta. In Antonium non pauca, quibus, odium, iracundiam, inuidia, timor, molestia, & id genus affectus instituuntur. In quo genere Cic. mediocris, aut multo etiam minus quam mediocris, & re uera summus Orator inter Latinos, magno semper vsus est impetu: hoc est affectuum concitatione, amplificationum ardore, clamore, & concertatione dicendi: sæpè aduersarios, tum reos, tum actores, de statu, tam præsidij, quam defensionis deiciens.

Quibus locis adhibendum est Pateticum Genus.

Nulla

NVlla est omnino pars, quæ amplificationem non recipiat: potißimum tamen graues motus exigit Peroratio, mitiores vero principium. Recipiunt tamen & aliæ partes hoc genus vehementius, nempe cum vtimur argumentatione inflexa, dum enim amplificatio aliqua est, motus est.

Species Patetici Generis.

HOc genus habet duas species. Alteram ad indignationem, & vocatur amplificatio: alteram ad misericordiam, & vocatur commiseratio: habetque locum in iudiciis, & in causis grauißimis deliberationis: ad delectationem vero illa plurimum valent, de quibus diximus libro primo: tametsi frequens vsus est illorum in aliis causis.

De Amplificatione.

AMplificatio est, grauior quædam affirmatio, Iudicem concitans, eumque trahens ad sæuitiam, hæc fit.

Ab authoritate, cum commemoramus quænam fuerit Deorum immortalium & sapientum, de ea re, de qua agitur sententia. Exemplum in Oratione pro Milone, vbi Cic. Clodium propter violatam Religionem, Diis immortalibus pœnam dedisse ostendit, Sic in Oratione de responsis Aruspicum: & in L. Catilinam: & in Oratione de

diuinatione, quæ sententia maiorum fuerit ostendit, & quid visum aliquando fuerit sapientibus, Cic. egit in conclusione Orationis pro Pomp.
Ab vtili. Quando demonstramus ad quod pertinet id quod agitur. vt Catilinæ parricidiũ & in Oratione pro Sex: Roscio Amerino, ad omnes, Pro equitibus dixit ad eos, quod præcipuè apud bonos locum habuit: primum enim boni viri honestate mouentur, deinde etiam aliorum calamitate afficiuntur.
Ab euentis. Dum spectamus damnum, vt rem malam, percunctamurque, quid sit sperandum, si omnibus idem concederetur, & eo neglecto, quid periculorum, aut incommodorum consequatur: vt si dicatur. Adultero propter nobilitatem parcite Iudices, nos in peroratione percunctabimur, quãtum periculorum putent euenturum, si crimen rei neglexerint, cum multi paßim ad alienas vxores ibunt. Exempla apud Salust. in oratione Cathonis, & apud Cic. pro Flacco.
A causis conseruantibus & corrumpentibus Iudicium. Dum ostendimus hoc erratum, si iudices commiserint, neque alio commutari iudicio, neque vlla potestate corrigi posse: cum aliæ res aut vetustate sedentur, aut consilio corrigantur.
A modo facti. Dum spectamus consilium, voluntatem, Imprudentiæ dicimus veniam concedere, ma-

dere, maleficio vero veniam dare non oportere.
Ab explicatione facti. Si dicemus illud esse cōtra naturam, contra humanitatem, contra Deos, contra subditos: vt si Paris accusaretur, qui Helenam rapuisset, quæ res dedit causam belli Troiani. Talis etiam fuit libido Tarquinij superbi, propter quem Reges sunt exacti.
Ab exaggeratione criminis, Cum ostendimus tantum crimen esse, vt nunquam antea factum commissumque reperiatur: & quanto magis nefarium, & inusitatum crimen est, tanto citius et asperius puniri debere ostendimus. Hunc locum Cic. in G. Verrē, lib. 7. accusationū cōplexus est.
A comparatione. Quando aduersarij crimen cum aliis criminibus comparamus, & grauius esse ostendimus. Non omisit hunc locum Cato cum ait, Aulus Manlius Torquatus bello Gallico, filium suum, quod is contra imperium in hostem pugnauerat, necari iussit. Atque ille egregius adolescens immoderatæ fortitudinis pœnas dedit, vos de crudelissimis periculis, quid statuatis cunctamini?
A comprehensione omnium eorum, quæ in negotio gerendo acta sunt, quæque post negotium consecuta sunt. Dum vniuscuiusque indignatione & criminatione rem verbis, quam maximè ante oculos eius, apud quem dicitur ponimus: vt
id quod

id quod dignum est, perinde illi videatur indignum, ac si ipse interfuerit, ac præsens viderit: hic enim omnia attributa complectuntur, per quæ res sic amplificando exponitur, vt non narrari sed geri credatur.

De Commiseratione seu conquestione.

Commiseratio est grauior quædam affirmatio, Iudicum animos flectens. Hæc sumitur.

A cõmutatione fortunæ, qua nihil est miserabilius & vehementius: vt fuimus Troes apud Vergil. lib. 2. Æneid. & pro Milone à Lucio Syllæ apud Cic.

A comparatione superioris fortunæ, cum præsenti aduersa, vt pro Sylla, O miserum, o infœlicem illum diem, quo Sylla Consul omnibus centuriis renunciatus est. O volucrem fortunam, quã cito omnia in lachrimas reciderunt. Sic apud Virg. Æneid. 4. Dido ait.

Te propter Lybicæ gentes numidûmq; Tyranni
Odêre infensi Tyrij, te propter eundem
Extinctus pudor: & qua sola sydera adibam
Fama prior &c.

Ab enumeratione eorum, quæ nobis futura sint nisi causam obtinuerimus.

A casu, necessitate, imprudentia, quæ merentur sæpè veniam: per hunc enim locum orantur illi qui audi-

qui audiunt, humili & supplici oratione, vt misereantur. Exemplum pro Milone, Muræna & Publio Quintio.

Ab enumeratione eorum quæ futura sint ob nostras calamitates, nostris parentibus, liberis & cæteris necessariis, quorum curam nos magis, quã nostrum ipsorum habere ostendimus, quo loco Cice. pro L. Muræna optimé vsus est, cuius matrẽ & patrem miseros dicit futuros. Turnus apud Virg. lib. 12. Æneid. cum ab Ænea prosterneretur, rogabat, vt vel senis Daphny patris intuitu Æneas sibi parceret, qui in patrem proprium pius esse consueuisset.

Miserite si qua parentis
Tangere cura potest oro, fuit & tibi talis
Anchises genitor, Dauni miserere senectæ.

Et in Oratione pro Milone facit hocipsum. Valeant inquit ciues mei, sint incolumes, sint florentes, sint beati, stet hæc vrbs præclara, mihi patria charißima. Quibus verbis de miseria ciuium magis, quam sua dolere videtur.

A declaratione nostræ erga alios clementiæ, ac humanitatis: æquum est enim, vt qui in alios misericordes fuerint, ipsi misericordiam consequantur: vt si dicatur, Marcellum mereri clementiam Cæsaris, quoniam in multos clemens ipse fuerit.

A declaratione incommodorum, in quibus nos diu fuisse

diu fuisse ostendimus: estque omnino his locus Patheticus. Exemplum pro Milone, & in Epist. Cic. 1. Epistol. Famil. lib. 10. ad Plancum, Posteaquam de medio cursu, Reipub. voce sum reuocatus, nunquam per M. Antonium quietus fui.

A querimonia de nostro fato, aut fortuna. Exemplum in Oratione prædicta. O me miserum, ô me infœlicem: reuocare tu me in patriam Milo potuisti per hos, ego te in patria per hos retinere non potero: & Philipp. 2. Quonam fato P. C. fieri dicam, vt nemo his annis viginti Reipub. hostis fuerit, qui non bellum eodem quoque tempore mihi indixerit.

A Querela. Quod ab his, à quibus minime conueniat, malè tractemur: vt sunt, propinqui, amici, quibus bene fecerimus, quos adiutores fore putauerimus, quos minime læserimus, aut à quibus indignum est: vt seruis, liberis, clientibus. supplicibus, Cic. Philipp. 2. Atque hoc in aliis minus mirabar, nemo illorum mihi inimicus fuit voluntarius, Omnes à me Reipub. causa lacessiti, tu ne verbo quidem violatus, vltro maledictis me lacessisti.

A Demonstratione propriæ virtutis, quæ miseriæ aduersatur, ostendendo animum nostrum fortem, patientem incommodorum, nam sæpè grauitas & authoritas plus proficit ad misericordiam

 commo-

commouendam, quam humilitas & obsecratio.

Obseruationes in affectibus excitandis.

PRima. Vt magna vis Oratorem inflammet. Secunda, Vt ipse Orator afficiatur hoc modo, quo cupit auditorem afficere: neque enim fieri potest, vt commoueat alium, nisi omnes illi affectus in eo ipso Oratore, inusti, atque impressi, esse videantur. Huc spectat illud Horatianum, vt ridentibus arrident, ita flentibus adsunt, si enim vis me flere, dolendum est tibi.

Tertia. Non solum verbis, sed & rebus mouentur iudices. Itaque more Romano Cic puerum infantem in manibus tenuit, cum pro Sylla dolenter perorauit. Hic vos orat Iudices paruus, vt se aliquando, si non integra fortuna, at afflicta patri suo gratulari sinatis. Huic misero notiora sunt iudiciorum itinera, & fori, quam disciplinarum. Et Antonius cruore conspersa & telis confixa veste concitauit populum Romanum: nam sicut rebus ipsis mouetur animus, sic et persæpe verbis afficitur. Hinc Ouid. lib. 3 de Ponto.
Interdum lachrimæ pondera vocis habent.

Quarta. In tractatione misericordiæ non oportet diutius immorari, sed simul, ac viderimus iudices lachrimis ora profundere, desinendum est, vt statim iudex ferat sententiam, dum pro nobis mouetur.

uetur, nihil enim citius lachrima arescit.

De altera parte Collocationis, hoc est Argumentorum.

NOn satis est Oratori inuenire locos, è quibus argumenta, & eorum materia petatur, nisi hæc eadem materia legitime collocata, atque in certum ordinem redacta, eique quod efficere vult apta, & accommodata fuerit.

Est autem duplex collocatio argumentorũ, Naturæ & Iudicij. Argumenta ordine naturæ disponuntur, cum insiti seu intrinseci loci priorem locum tenent, assumpti posteriorem: cumque ordo locorum, ita vt est in arte seruatur. Iudicij collocatio est, cum argumenta pro rei necessitate ac oportunitate, ex iudicio Oratoris disponuntur: Orator enim argumentis nonnunquam firmissimis, & illis quæ vix refelli possunt initio vtitur, interdum etiam in finem, in quo victoria iam agitur ab eo remittuntur. Notabis autem duplicem esse materiam argumentorum. Aut enim sunt argumenta firma, aut infirma. Firma sunt seorsim ponenda, infirma vero plura coaceruanda, quæ enim non valent quia magna non sunt, possunt tamen, quia multa sunt. Item de firmis alia prima sunt ponenda, alia postrema: infirma vero in medio collocanda: imitandus enim

 hic est

hic est bonus imperator, qui ita instruit suam aciem (quod fecisse Pyrrhum constat) vt in ea collocet de firmissimis militibus, alios in primis, alios in postremis, in medio vero mistos atque varij generis. Celsus sentit in principio firma ponenda argumenta, in fine firmissima, in medio imbecilliora: nam initio monendus est iudex, in fine vero impellendus, quod apud Ouidium fecit Aiax cum Vlysse, de Achillis armis contendens.

De Tertia parte Collocationis, Scilicet partibus argumentationis.

Nouem Species argumentationum Rhetoricarum.

Habet autem Orator varios modos probandi, vtitur enim ratiocinatione, inductione, collectione, complexione seu dilemmate. Item enumeratione, simplici conclusione, præterea subiectione, oppositione, sæpé etiam inuersione.

De Ratiocinatione.

Ratiocinatio est Syllogismus Rhetoricus, in quo rationibus vna vel pluribus additis, maiori & minori propositioni, infertur conclusio. Hæc constat quinque partibus, propositione, propositionis ratione, assumptione, assumptionis ratione, & conclusione.

Exem-

Exemplum.

PRopositio, Cuicunque quæsito opus est, vere dici diues non potest. RATIO. est enim diuitiarum fructus copia, quam declarat satietas rerum & abundantia, hoc est si nihil tibi deesse putes, nihil appetes, nihil optes amplius. ASSVMPTIO. Marco Craßo quæsito opus est. RATIO. Quia propter auiditatem pecuniæ, nullum quæstum turpem putat, quotidie fraudat, poscit, paciscitur, aufert, eripit, spoliat socios, ærarium expilat, & testamentum supponit: quæ omnia non abundantis sed egentis sunt signa. CONCLVSIO. Ergo Marcus Crassus vere dici non potest. Interdum pluribus partibus constat ratiocinatio, cum vnaquæque probatio suam habet confirmationem & rationem, atque hæc rursus aliam. Interdum omittitur probatio, vel Propositionis, vel Assumptiõis, fitque argumentatio trimembris: vt cui bono fuit, is occidit. Inimicis bono fuit. Ergo ad quos bona peruenerunt, & non filius, qui illis spoliatus est, occiderunt.

De Inductione.

INductio est argumentatio, quæ rebus non dubiis conceßis, propter similitudinem, rem quæ dubia erat comprobat: vt, Dic mihi senex ingratißime,

tißime, si nihil in te officij collocassem: num tu me iniurium vocares? non inquies, neque enim iniuria videri potest, si nihil de eo bene merearis, cui nihil debes. Nunc igitur cum vltro plurimum in te officij contulerim, non æquum est te mihi succensere, quod bene facere desierim, qui succensere non poteras, etiam si nunquam bene facere cœpissem.

De Collectione.

COllectio est argumentatio, quæ rationibus & expollitionibus absoluitur. Hæc constat partibus quinque, Propositione, Ratione, Rationis confirmatione, Expollitione, & Conclusione. PROPOSITIO, est quæ ad probandum sumitur. RATIO, quæ probat quod propositum est. CONFIRMATIO, est rationis probatio. EXPOLLITio, quæ locupletãdæ & honestãdæ rei gratia adhibetur. Hæc sumitur ab exemplis, à maiori ad minus, & è contra, á contrariis, á similibus, prouerbiis, & id genus aliis. CONCLVSIO, est quæ superioribus breuiter repetitis propositionem iterat.

EXEMPLVM. Propositio. Sapientis est famæ suæ longè diligentius quàm opibus suis: non minus vero diligenter, quàm vitæ, consulere. RATIO Propositionis. Minus siquidem damni & incommodi accipit, qui pecuniam, aut etiam vitam

am vitam amittit, quàm qui famam.
CONFIRMATIO Rationis constans collatione, fama enim amissa, integra restituitur nunquam, vita vero, cum certos à natura terminos acceperit, in longum tempus extendi nequit. At fama hominis, quæ est altera, & potior vita nostra, etiam post cineres & rogum superest, vitam ergo qui eripit rem adimit, qua nullo etiam auferente diu frui non poteramus. At famam qui eripit, re immortali & pulcherrima nos spoliat.
EXPOLLITIO ab Exemplo. Quod veteres rectè intellexisse mihi videntur, qui non pecuniā modo, verum etiam vitam ipsam effundere non dubitarunt, quo nomen suum, quam maximè prorogarent. Intellexit Decius Brutus, qui se deuouisse dicitur & pro legionibus misisse, in hostes medios, vnde amisit vitam & non perdidit: re enim vilissima & parua, maximam redemit: dedit vitam hanc corporalem, accepit æternam: amisit animam, potitus est gloria, quæ cum summa laude perdita, vetustate quotidie magis elucescit. Solet autem tractare exemplum quatuor partibus, Propositione, Expositione propositionis, Reditione, & Complexione. vt in Oratione pro leg. Manil. Propositio, vt ex eodem Ponto Medea illa quondam profugisse dicitur. Expositio, Quam prædicant in fuga fratris sui membra in

his locis, qua se parens persequeretur dißipauisse. Reditio. Sic Mitridates fugiens maximam vim auri atque argenti, pulcherrimarumque rerum omnium, quas & à maioribus acceperat, & ipse bello superiore ex tota Asia direptas, in suum regnum congesserat, in Ponto omnem reliquit. Hæc dum nostri colligunt omnia diligentius: rex ipse è manibus effugit. Complexio. Ita illum in persequendi studio mæror, hos lætitia retardauit. CONCLVsio. Quod si igitur homines, iis rebus maximè timere videmus, quæ cū sint preciosißimæ, facillimè tamen perduntur, ac difficillimè restituuntur. Sapiens existimandus non est, qui famæ, quæ neque restitui potest, semel amissa: & qua nihil habet homo preciosius, non multò diligentius consulendum putet, quam pecuniæ, aut etiam vitæ. Potest etiam tribus duntaxat, aut 4. partibus confici collectio, si vel confirmatio, vel expollitio, vel vtraque ommitittur. Differt autem Collectio à Ratiocinatione. In collectione idipsum quod in conclusione proponitur, repetitur: in ratiocinatione concluditur idipsum quod est è propositione & assumptione confectū.

De Complexione seu Dilemmate.

COmplexio seu Dilemma est argumentatio, in qua

in qua vtrumuis concesseris, reprehenditur: vt, Gabinium admonendum non censeo, Nam si bonus est admonitione non habet opus, sin improbus eam contemnet. Sed notabis vitiosas cõplexiones fieri, in quibus, aut vtraque pars, aut altera conuerti, & in aduersarium retorqueri potest: vt accusandus omnino non est, nam si veretur quid eum accusas qui probus est? Si non veretur quid eum accusas, qui id parui æstimat. Hic inuertitur vtraque pars, Prior imo si veretur, maximè est accusandus vt corrigatur, Posterior, si non veretur hoc ipso est accusandus, quia improbus est.

De Enumeratione.

ENumeratio est, in qua pluribus rebus sufficienter expositis & cæteris infirmatis, vna reliqua necessario confirmatur. Hæc constat tribus partibus, Expositione, Infirmatione, & Conclusione. Exemplum. Expositio. Si illum ab hoc dicis occisum, necesse est aut metu, aut odio, aut spe alicuius commodi, aut amici alicuius gratia ab goc esse occisum. Infirmatio. Sed neque odium, neque metum, neque spem intercessisse, neque ad amicum aliquem, mortem eius pertinere probare poteris. Conclusio. Relinquetur ergo ab hoc non esse illum occisum. Interdum constat tãtum Infirmatione, & Conclusione. Confutatur

autem Enumeratio, si aut vnum aliquod membrum, quod ab aduersario præteritum erat profertur, aut si vnum quippiam ex his quæ prolata sunt, falsum esse ostenditur.

De Conclusione simplici.

Conclusio simplex est argumentatio, in qua ex eo quod antecedit, aliquid consequi necesse est. vt Literas nouit, Ergo didicit. Refutatur hæc argumentatio duobus modis, Primo, Si conclusio ex probabilibus inferatur, vt Pallet, Ergo diligenter discit. Deinde, Si ex falsis: vt Eloquentia euertit multas ciuitates, Ergo non est discenda.

De Subiectione.

Subiectio est argumentatio, in qua quærimus, quid pro aduersario, aut contra nos dici possit, deinde per singulas interrogatiões proprias subiicimus rationes, quibus id quod dictum est refutatur. Hæc constat tribus partibus, Interrogatione, Subiectione, & Conclusione. Exemplum. Interrogationes, & Subiectiones. Quæro vnde iste ex tenui, tam pecuniosus factus sit? Patrimonium amplum relictum est? at patris bona venierunt? hæreditas aliqua obuenit? at à suis exhæreditatus est, ex mercatura quam instituit,

quæstum

quæstum maximum consecutus est? at ex ea re, quæ habere videbatur, omnino amisit. Conclusio. Quare si his rationibus non locupletatus est, aut illi aurum domi nascitur, aut vnde non licuit pecunias accipit. Refutatur Subiectio, Si aut aliquid prætermissum esse ostenditur, aut infirmatur aliquid ex enumeratis.

De Oppositione.

Oppositio est, in qua ex opposito propositionis, ad ipsam propositionem reuertimur. Constat partibus tribus Propositione, Oppositione, & Auersione. Exemplum. Propositio. Si eo tēpore, quo hunc hominem in Prouincia occisum dicitis. Ego Romæ fui. Relinquitur à me non occisum. Oppositio, nam si tunc in Prouincia fuissem, à me occisum suspicari poteratis. Reuersio, Nunc autem, cum eo tempore in Prouincia non fuerim, nihil est quod hominem à me occisum suspicemini.

De Inuersione.

Inuersio est argumentatio, in qua ex aduersariorum ratione, non id quod ipsi volunt, sed quod vtile nobis est, sequi demonstramus. Constat Propositione, Ratione, & Inuersiōe. Exemplum. Propositio, Non sunt legendi Poetæ. Ratio. Demulcent enim legentis animum & alliciunt. Inuersio.

uersio, Immo ob idipsum sunt legendi, quia demulcent animum. Ciceroni hoc in more positum est, vt quod ab aduersariis illi obiicitur, vel obiici poßit, illud in aduersarios reiiciat. Miloni obiectum est ab aduersariis, quod Clodio fecerit insidias. Retorquet Cicero hoc crimen in aduersarios, & probat, quod Clodius Miloni insidiatus sit. Sextus Roscius occidisse patrem ab aduersario accusatus est, id aduersarios Cic. fecisse contendit. Ab Aulo Cluentio corruptos esse docet. Mirantur fortasse nonnulli quod Cicero qui defendere alios solitus sit ad Verrem accusandum descendat. Cic. magis id se facere docet, vt defendat Siculos à Verre vexatos, quam vt Verrem accuset. Et in Catil. 4. obijcitur crudelitatem fore, si morte coniurati mulctentur, probat Cic. non solum non esse crudelitatem, verum etiam nisi morte mulctentur, Senatum crudelitatis in patriam suspicione laboraturum.

Duo Genera Collocationis partium argumentationis.

DIsponuntur autem hæ species argumentationis, vel directo ordine, vel inflexo. Directus ordo est, cum ita singulæ species collocantur, vt à nobis traditæ sunt, vt cum primo loco ponitur Propositio. Secundo Propositionis ratio. Tertio Assum-

Assumptio. Quarto Assumptionis ratio. Quinto Complexio. Inflexus vero est, cum ordo naturæ in propositionibus immutatur, vt in hoc exemplo. Conclusio. Inimici occiderunt Roscium. Deinde sequitur propositio maior, is demum cui bono mors fuit occidit. Tum ASSVMPTIO, inimicis enim bono fuit. Vide Argumentum 2. pro M. Marcello, & apud Historicos in Entimematibus frequenter propositioni præponuntur rationes: apud Oratores tamen rarius. Fit etiam Inflexa argumentatio, cum amplificatur Assumptio, & motis animis subiicitur Conclusio. Eadē ratio est aliarum specierum argumentationis.

De Collocatione Quæstionis Infinitæ.

QVæstio Infinita libera est, & iudicij eius, qui eam tractandam suscepit, tamen ordo locorum superius expositorum seruatur: vt initium fiat à notatione, definitione. Deinde decursus ꝑ alios locos, quicunque possunt adhiberi.

De Collocatione Quæstionis Finitæ.

PRimo de exordio deliberatiui generis. Exordia quamuis in demonstratiuis causis maximè libera, longeque à materia duci possunt, liberũ enim ē exordiũ sumere, vndecũque voluerit Orator,

Orator, quod in Helenæ laudatione Isocrates fecit, & ex aliqua rei vicinia, vt idem in Panegirico, cum queritur, plus honoris corporibus, quam animorum virtutibus dari, & Gorgias in Olimpico laudans eos, qui tales instituerunt conuentus. Salustius quoque bello Iugurtino & Catilinario, nihil ad Historiam pertinentibus proœmiis vsus est: tamen seruando artis præcepta, primi libri de exordiis, sumentur à personis & rebus. Personæ sunt nostra eius de quo loquimur, & auditorum. A nostra, Exordium sumemus, vel laudando vel vituperando. In laudando, vel ex officio sumetur, aut in amicos, aut in bene meritos, Cic. lib. 1. accusationum in Verr. officio se ad accusandum venisse dicit. Vel à studio, & voluntate, cum dicemus eiusmodi virtutes quas laudarem in aliquo volumus, & commemorari ab omnibus debeãt, & nos earum amore ductos, tacere non potuisse. Vel à Iudicio, dicemus nos non eos esse qui virtute præstant: facere tamen non possumus, quin eos in quibus est amemus, & veneremur: vt qualis animus noster sit, facile intelligatur: qui enim virtutem laudat, virtutis se studiosum & amatorem ostendit, & quales sunt qui laudantur, tales etiam esse qui laudant existimari possunt.

In vituperando contrariis locis vtemur captãdo beneuolen-

Beneuolentiam à persona nostra, vel ab iusto, quod de nobis & de Repub. male meritus sit. Vtitur hoc loco Cic. in Anton. Philp. 2. cum dicit. A q; hoc in aliis minus mirabar, nemo illorum inimicus fuit voluntarius, omnes à me Reipub. causa lacessiti: tu ne verbo quidem violatus. Et Salust. in Cic. Respondebo tibi, vt si quam voluptatem maledicendo cœpisti, eam male audiendo amittas. Vel ab vtili, vt si dicemus hoc nos studio in malos esse, vt eorum studia occulta esse nolimus: ne si latuerint, caueri non poßint. Vtitur hoc loco Cice. lib. 1. accusationum in Verr. Vel declarando nos esse viros bonos reprehnedendo malos: sicut enim ex virtutis laudatione, amatores honestatis agnoscimur, sic ex vitiorum accusatione eiusdem hostis declaramur.

Ab eius persona de quo loquimur. In laudando, si res ab illo gestas amplificamus dicentes, illum publicé vel priuatim eiusmodi res geßisse, vt nullius Oratoris, quamuis magni, exornari, aut enumerari Oratione poßint. Cic. pro Pomp. Huius inquit Orationis difficilius est exitum quā principium inuenire. In Reprehendendo dicemus nos vereri, ne eius scelera Oratione complecti poßimus, & omnes homines illius scelera execrari, & ea omnia accusantium Orationem anteire. A persona auditorum: vel si auditoribus eius, quem

quem laudari ſuſcepimus notam virtutem eſſe dicemus: vel ſi rogabimus, ſi fuerit ignota, vt cognoſcere velint, et ideo ad dicendum nos veniſſe oſtendemus, quia tantam virtutem pati latere minimè poteramus. Si vituperabimus contrarios locos accipiemus.

A Rebus ipſis vel ſi promißione vtemur rei magnæ, vel ſi dubitabimus de facultate, neque nos ſcire, quomodo rei tantæ ſatiſfaciamus dicemus.

De Narratione Demonſtratiui generis.

NArratio quæ ſumeretur ab re laudanda vel vituperanda, vel à ratione quæ ad perſonas pertineret in hoc genere nulla eſt. Narratio ſi quidem non niſi præteriti temporis ſolet eſſe. Demonſtratiuum autem genus in præſenti verſatur, laude, vel vituperatione, & vim illic præcipuam habet, res autem præſens narratione non indiget, quia ipſa facti oratio, eſt quaſi continua narratio, Si qua tamen facti ſpecialis narratio inciderit, qua factum aliquod alicuius narrandum ſit, in quo aut laus, aut vituperatio contineatur, ea ſeruanda erunt, quæ circa præcepta narrationis dicta ſunt, vt ſit breuis, dilucida, veriſimilis: & eiuſmodi narratio incidens eſt: quæ præſentem cõfirmat laudem, & vituperationem.

De Diui-

De diuisione Demonstratiui Generis.

DIuisio totius causæ summam complectatur, & quo ordine de bonis dicturus sit aliquid Orator, auditores commune faciat. Diuisio autem Demonstratiui generis Tripartita est. DIRECTA, In qua ætatis gradus & rerum gestarum ordinē sequimur. IMMVTATA, In qua ab vltimis incipimus. MISTA, In qua singula facta in genera virtutum digerimus. Quod si propositio in demonstratiuo genere fuerit simplex, hoc est, absque distributione, non nuda, sed cum amplificatione poni solet: vt pro M. Marcello, nullius tantum est flumen ingenij, nullius scribendi aut dicendi tanta vis, tantaque copia, quæ non dicam exornare sed enarrare G. Cæsar, res tuas poßit, tamen hoc affirmo, & hoc pace dicam tua, nullam in his laudem esse ampliorem, quam eam, quam hodierno die consecutus es.

De Confirmatione Demonstratiui Generis.

DIuisionis partes, singillatim, & ordine confirmet Orator: si enim directum ordinem ætatis rerumque gestarum seruauerit, à primis annis laudetur indoles, tum disciplinæ, post hæc dicto-

rum factorumque contextus sit: vt in laudibus Pompeij, à pueritia initium sumpsit, à qua ad adolescentiã transitum fecit, & rerum, tenore seruato, bella enumerauit quæ gessit, Ciuile, Africanum, Transalpinum, Hispaniense. Eo genere Collationis Historici maximè vtuntur, & potissimum Plutarchus atque Suetonius, qui vitas illustrium virorum stylo prosequuntur, à primo enim ortu atque ætate eorum, quos describunt, ad extremam vsque diem progrediuntur. Mutatur quoque ordo temporis & gradus, cum ab vltimis itur ad prima, qui ordo valet plurimum in extenuandis ac diluendis criminibus: si enim illud crimen quod grauissimum videatur, & quod sit maturioris ætatis in primis diluas, certè plurimum decedet de proposito crimine. Cum vero diuidimus bona mala, incerta genera: hoc facimus quatuor modis, nam in Demonstratiuis causis aut laudantur bona, aut vituperantur mala: quæ in suas formas diduci oportet, & quo ordine diduxeris, eodem de singulis dicendum est, quod vt planius fiat, exemplo commonstrabimus. Bonorum alia sunt, quæ à natura tribuuntur, alia quæ à fortuna, & rursus quæ à natura dantur, quædam sunt animi, quædam corporis. Animi bona sunt, Prudentia, Iustitia, Fortitudo, Temperantia, Itemque scientia Philosophiæ, Medicinæ, Iurispru-

risprudentiæ. Corporis bona sunt, Valetudo, Robur, Celeritas, Forma. Fortunæ bona sunt, Opes, Diuitiæ, Honores, Amici, Magistratus, & his similia. Quo igitur bonorum genera diduxisti in formas, eodem Ordine collocentur argumenta in Oratione, quod Cic. fecit in Oratione pro leg. Manil. cum Imperatoris officium diuisit in scientiam rei militaris, virtutem, authoritatem, & fœlicitatem, quæ singula in Pompeio commonstrat. Procedimus quoque à minoribus ad maiora ascendendo: veluti à minus diuturnis bonis ad diuturniora, ab illis quæ propter aliud expetuntur, ad ea quæ propter se, ab aduenticijs, ad innata, ab vtilibus ad honesta, à vulgaribus ad rara, ab alienis ad propria, à fortuitis ad ingeniosa: quæ tota collocandi ratio posita est pro M. Marcello in Oratione, comparat reliqua Cæsaris facta Cic. in ea, cum misericordia in victos, tanquam minus cũ maiore. Interdum ad minora extenuando delabimur hoc pacto Cic. in oratione pro Sex. Roscio, cum ostendisset patrem ab eo non esse occisum, quia tum Romæ non fuerat, quum pater interiit, & quod neminem subornauit qui occideret. Postea diluit leuiora Crimina, quæ ab aduersariis sibi obiiciebantur: quod eum pater non dilexisset, quod sẽper ruri, nunquam in vrbe manere voluisset. Inæquabili quandoque varietate vtimur, parua ma-

gnis, simplicia coniunctis, obscura dilucidis, læta tristibus, incredibilia probabilibus intexendo.

De Confutatione demonstratiui generis.

CONfutatio in genere demonstratiuo, necessaria semper non est: sæpißimè enim accidit, vt ũnino non contra dicatur. Si quæ tamen suspicio inciderit, diluenda est præceptis confutationis.

De Peroratione Demonstratiui generis.

PEroratio demonstratiui generis, sæpè fit per enumerationem, propter varietatem bonorum, eademq́; breuis. Motus vehementiores hoc genus non requirit: propterea quod altercationes, vt cætera genera non habet. Interponendæque sunt breues & Crebræ amplificationes, quæ sunt propriæ exornationum, quæ vel ad excitandos auditores, vel ad deterrendos à vitiis pertineant.

Obseruationes Demonstratiui generis.

PRima. Sæpè comparando res cum rebus, vti solemus hoc genere: quod dum facimus, tum illa quæ ad comparationem assumi solent, etiam summis laudibus sunt extollenda: tum enim vt personarum,

narum, ita rerum laus elucescit maxima, quando cum personis & rebus laudatissimis conferuntur. Cauendumque erit, ne dum in comparatione vtramque rem efferimus, in ea quam extollendam assumpseramus videamur neglientiores esse.
Secunda. Genus Demonstratiuum ætate Ciceronis, per se raro tractabatur, & multi putabant Oratorem de re dubia tantum dicere debere: nondum enim impudentissima ostentatio, quæ omnia corrumpit, animos hominum ingressa erat. Nondum viri principes laudibus delectari cæperant, quas non merebantur, cumque suas non esse intelligerent, non etiam affectabant, nullus nisi in Capitolium Iouem fortasse Panegyricum scripserat: ideo nullum exemplum habemus perfectæ exornationis. Apud Græcos autem fuit vsitatius apud quos erant multi adulatores, & crebro Sophistæ illo vtebantur: quare etiam exempla plura habent.

Collocatio Deliberatiui generis.

V*Trumque genus collocandi, hoc est naturæ & Iudicij in hoc genere locum habet,*

De Exordio Deliberatiui Generis.

E*Xordia vel non longa, vel sæpè nulla esse*

 debent

debent: sponte enim sua paratus est ad audiendum, qui consilium accipit, quod præceptum est de iis Exordiis quæ instituuntur, ad comparandam beneuolentiam: nam quæ ad attentionem & docilitatem comparantur, illa sunt propè semper necessaria, Arist. tamen ab hoc genere causarum exordia non reiicit, immo iis vtendam esse docet propter quatuor causas. Primo, si persona dicentis requirat. Si enim Orator is est, de quo homines male existimant, certe magnoperè causam debilitabit. Deinde si calumniæ aduersariorum desiderent: hinc enim illud est, quod Cic. docet in Oratione. Si inquit aliquam opinionem aduersus nos auditor adferat, aut ex actione nostri aduersarij eam concipiat, diligenter cogitandum est, & enitendum, vt eam quam primum diluamus. Vtendum quoque erit exordiis, vel quia sæpè non tanta res esse videtur auditoribus, quantam Orator videri vult. Postremo, Ornatus causa, ne sit aditus promptus & monstrosus, qui debet esse honestus: accessiones enim ad causam, vt vestibula honestas esse oportet.

Narratio Deliberatiui generis

CVm Narratio sit rerum gestarum expositio, deliberatio aũt omnis fermè de futuro fit, vix in ea narrari potest; ideo aut nulla, aut breuis sit Narra-

sit Narratio in Deliberatiuo genere, cum videlicet præsentia futuris applicantur: & quid euenturum sit ex illis, colligitur. Quæ si accidat in hoc genere causæ, seruanda sunt illa præcepta Narrationis: vt nimirum sit, dilucida, breuis, probabilis, & suauis.

Diuisio Deliberatiui generis.

QVoniã Deliberatiui generis finis est vtile, quod ante omnia considerandum est: ideo ex ipso partitio statuenda est. In qua si poteris & honestum, & vtile, necessarium, facile ostendere, omnia polliceberis quadripartita diuisione, Sin vnum ex iis, id simpliciter demonstrabis: vt qui dissuadent equum intra mœnia Troiana recipiendum, inutile esse dicunt his verbis.

Creditis auectos hostes, aut vlla putatis
Dona carere dolis Danâum &c.

Qui suadent, honestum simpliciter ostendunt, vt
Primusq; Thymetes duci intra muros hortatur,
Et arce locari, vide Confirmationem Catil.

Confirmatio Deliberatiui generis.

EX numero partium Orationis, duæ sunt generis Deliberatiui propriæ, Confirmatio, & Peroratio. Confirmatio ad docendum, Peroratio ad

permouendum valet. Omnis autem Confirmationis ratio ad fidem faciendam, quæ fit ex locis deliberatiui generis, ex quibus tota Confirmatio & Refutatio petitur, accommodari debet. Docebit itaque ex his locis sumptis argumentis Orator qua via bona consequi, mala vitare poßimus: magis enim homines fugiunt mala, quam sequuntur bona: nec tam honorem expetunt, quam ignominiam fugiunt. Si itaque sermonem Orator habuerit apud bene institutos, primò de honestate: si apud indoctos, primò de malis, deinde de vtilitate, tum de honestate dicendum erit.

Peroratio Deliberatiui generis.

HOc in genere ad motum pertinet Peroratio, exemplisque instructa debet esse nouis, nulli enim generi exempla magis conueniunt, quia futuris respondent præterita: vt si dicas tollerate obsidionem, quoniam quæ premia obseßi ab Annibale apud Caßilinum quondam acceperunt, eadem vos & multo ampliora feretis: nam vt maxime elucere Iusticia debet in Iudiciali genere, ita in deliberatione prudentia, quæ memoriam præteritorum exemplorum, iudicium præsentium, prouidentiam futurorum, habere debet.

Collocatio Iudicialis generis.

Collcca-

COllocatio huius generis est duplex, Accusatoris & defensoris: vbi enim sunt fines diuersi, ibi dispositio vna & eadem esse non potest.

Exordium Iudicialis generis Accusatoris.

PRopositum est Accusatoris, vt Iudicem iratum efficiat: quod diligenter faciet, sed potissimum in perorando. Si igitur in perorationibus accusationum illud maximè efficiendum est, vt iudicem in iracundiam præcipitem agamus, certè in exordiis earundem accusationum, hoc idem seruandum erit: nam exordium hoc distat à peroratione, quod in exordio leuius, & leui vt aiunt brachio iudex impellitur, ad indignandum: propterea, quia iam inclinatus esse debet in vestibulo Orationis, ad eas tempestates affectuum, & procellas, quibus exagitandus est in peroratione. Idem igitur faciendum est in exordio quod in peroratione: in vtraque parte, ad iracundiam iudex & furorem inflammandus est, seruatis illis præceptis, quæ de exordio dicta sunt.

Narratio.

IN Narrationibus Accusator ordinem rerum tenebit, & vt quidque prius gestum est, ita quoque priore loco exponet, inutilia amputabit: ni-

hilque omittet, quod causæ magno præsidio fieri posse videbitur.

Confirmatio.

IN *Confirmatione seruabit naturam argumẽtorum, quæ petuntur ex locis, tum insitis, tum assumptis. Porro argumenta duplicia sunt: nam alia ad probationem pertinent, alia ad amplificationem. Quæ probant, singula grauiter proponenda sunt, & suis rationibus munienda. Conclusiones vero acriter inferendæ. In illis vero quæ amplificant accuratius in singulis est cõmorandum, & paululum diggrediendum de cursu dicendi per exempla, similia, locos communes. Singulis itaque argumentis adhibendæ sunt amplificationes, & affectus. Quæ enim vehemẽtia argumenti esse potest, nisi affectus adhibeantur? In singulis igitur argumentis acriter instãdum est, ne nudis propositionibus, tanquam sudibus victoriam apetiisse videamur: vt enim hasta arte tractata vehementius ferit, ita singula argumenta affectibus instructa, iudicij vim adferunt.*

Peroratio.

IN *perorationibus sint motus vehementiores, quam in exordio: est enim hic propositum Oratori vt iudicem iratum efficiat, spoliaque ex hoste referat, ac victor domum redeat.*

Collocatio Defensionis.

IN exordio, reus omnia secus disponet, illudq́; ad beneuolentiam & placandos iudices conferet. Narrationes quæ lædunt sunt tollendæ, quæ vero totæ sunt molestæ, relinquendæ: & quæ prosunt exponendæ.

In Confirmatione & Refutatione naturam argumentorum spectabit, quæ sunt, aut infirma, aut firma. Infirma seorsim sunt refutanda. Sed de firmis hæc tenebit. Primo obscuranda sunt præstantioribus, & per illa extenuanda. Secundo obruenda sunt argumentis plurimis. Tertio vtendum est diggreßionibus, vt magnitudine Orationis auocetur auditor aliorsum: modo diggreßiones pertineant ad rem..

Perorationes debent esse comparatæ ad misericordiam. Nunc quoniam de prima ac secunda officij Oratoris parte satis dictum est, & libri priores non parum continere videntur literarum, illud iam quod est tertium & præcipuum, ne qua defatigatio multitudine literarum retardet discentium animos, commodius est in tertio volumine exponere.

Calumniæ morsui nullum remedium.

LIBER TERTIVS.

DEVENIMVS IAM AD ILLud, quod summum ac præcipuum Propositi nostri est, posteaquam quid inueniat & inuentum quem in ordinem Orator disponat declarauimus. Porro hæc communia esse quis non videt? quis quoque dubitat multo inferiora elocutione? nam etsi sunt ad maximam laudem necessaria: tamen non insignia, non illa quæ pariant admirationem, vt solet excellens elocutio. Quam QVINTILIANVS instar carnis, cutis, colorisque: alij instar vestimenti esse voluerunt, quæ extrinsecus apparet, quamque præcipuè admiramur. Enimuero quemadmodum homo, quem videmus, non ideo in sensum & in mentem plerumque intrat, quod corpus animumque (quæ prius præterlabuntur quam percepta sunt) habeat. Sed si preciosis fuerit vestibus indutus, sic Orationem rari inuentione, dispositioneque laudant, nisi fuerit eleganti tum verborum tum sententiarum efformata. Natura enim id fecit, vt multorum communia nemo miretur. At inueniunt Poetæ, Dialectici, Phisici, Medici, Mathematici, Iurisperiti, Theologi quid loquantur, & qua ratione disponant: sed pauci res elocutione tractare possunt: plerique non habent illam grauiter & copiosé dicendi facultatem quam qui assecuti, licet Philosophi, mirabiles

rabiles certe extiterunt, qualem Platonem olim Theophrastūq; fuisse accepimus. Equidem dicendum est illa esse prudentis & sapientis viri: inuenire enim, & indicare quid dicas, sunt tanquam animi ac nerui in corpore: animus corpus regit ac mouet, & vt viuat facit: inuentio ac de inuentis iudicium totam Orationem complectuntur, vimque habent, & quasi sensus faciunt. At nisi quæ mente conceperis scias promere, atque ad auditores proferre, superuacua sunt reliqua, & similia gladio condito, atque intra vaginam suam hærenti. Hoc itaque erit cui nos totos consecrari fas est: hoc est quod mulcet pectora, regit animos, in partesque rapit varias, per quæ versat omnia; hoc maximè Orator Oratore præstantior. Quod quoniam sine arte nullus consequi potest, huic studium vigil, diligens, exercitatio, imitatioque adhibenda, totusque nostræ adolescentiæ ætatis cursus, in hoc consumendus.

De Tertia parte Officij Oratoris.

OFficium Oratoris est, reperire quæ dicat: deinde inuenta, non solum ordine, sed etiam momento quodam atque iudicio dispensare: tum ea denique vestire atque ornare elocutione, post, memoria sepire: ad extremum agere cum dignitate & venustate. Tria ergo erunt posteriora quæ

spectabun

spectabuntur in illo, tertium quod erat Oratoris nimirum quomodo dicat.

De Elocutione.

ELocutio est idoneorum verborum, & sententiarum ad causam accommodatio.

Duo sunt genera Elocutionis.

ALterum sponte fusum, alterum versum atque mutatum. Genus sponte fusum est, quod trita loquendi consuetudine (quæ est velut altera Natura) occursante proiicitur per se, numero, ac lege componendi solutum: vt Milo occidit Clodium in via Appia. Genus versum atque mutatum est, quod verba aut Orationem in plura dilatat, aut contrahit, vel Orationis ordinem commutat vt, Cæsus est à Milone Clodius, in via maiorum suorum: hoc quotidianum non est, sed proficiscitur ex officina Oratoris, & consistit in simplicibus verbis, aut coniunctis.

Singulorum verborum commutatio fit duobus modis, aut ex vno verbo dilatatur Oratio, aut integra Oratio in vnum verbum contrahitur.

Ex vno verbo dilatatur Oratio, Primo per Periphrasim, hoc est quando verbum vnum explicando, in plura diducitur: vt, eum propter quem hanc suauissimam lucem aspexisti, scilicet patrē, ausus es hac suauissima luce priuare, id est occi-

dere.

dere. Secundo per assumptionem, quæ fit, quando ad rem propositam, alia assumuntur: vt, Hæc ratio doctis, & necessitas barbaris, & mos gentibus & feris Natura præscripsit, omnem semper vim quacunque ope possunt à corpore, à capite, è vita sua propellere: hoc est, Naturale est vim vi expellere. Hæc assumendi ratio est multiplex, nam ad genus assumuntur species, ad totum partes, ad finitum infinitum, ad substantiam accidentia, & consequentia, ad argumentum vero simplex expolitio argumenti, amplificatio per contraria, similia, exempla, sententias. Item diutius in eodem commorando, obscurum illustrando: & in vniuersum omnia præcepta copiosæ Orationis hûc spectant.

Contrahitur autem Oratio quatuor modis. Primo cum definitio reuocatur ad vnum verbum: hoc est pro definitione definitum ponitur, vt, bilis efferuescit, pallet vultus, ardent oculi, tremor membra occupat: id est iratus est. Secundo cum assumpta verba remouentur: vt pro illis pluribus in Miloniana Est non scripta, sed nata lex: ad quam non docti, sed facti, non instituti sed imbuti sumus: vt si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, in tela, aut latronum, aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendæ salutis. Remotis assumptis verbis breuiter dixe-

ter dixeris. Omnis vita conseruatrix est sui. Tertio, cum copiosè tractata in circuitus breues reducuntur: vt, Vos Senatus liberos esse hac lege voluit: populus nunquam allegauit: soluti huc venistis, ne constricti discedatis, cauete. Quarto, cum fit vnum verbum ex duobus: quod fit aut abiectione coniunctionis, vt lachrimans scripsit, pro lachrimatus est & scripsit, aut compositione: vt comprandere pro simul prandere: aut diminutione, vt lapillus pro paruo lapide, aut contrariis, vt inimicus, pro nequaquam amicus: aut particulis augendi, vt perhumanus pro valde humanus: aut verbis grauioribus, vt pestiferus pro valde perniciosus.

Coniūcta verba in ordine posita sunt, ordo autē triplex est, Directus, indirectus, & permistus. Directus est, in quo Naturæ ratio habetur: vt ꝓ leg. Manil. Nam cum hostium copiæ non longè absunt, etiam si irruptio nulla sit, tamen pecora negliguntur, agricultura deseritur, mercatorum nauigatio conquiescit. In eadem est indirectus ordo. Itaque neque ex portu, neque ex decumis, neque ex scriptura vectigal conseruari potest. Permistus ordo, in quo alia directè alia indirectè collocantur: vt pro M. Marcello. At vero cum aliquid clementer, mansuetè, iustè, sapienter, moderatè factum, in iracundia præsertim quæ

est inimi

est inimica consilio &c. In exordio enim dixerat, tantam enim mansuetudinem, tam inusitatam inauditamque clementiam, tantum in summa potestate rerum omnium modum, tam denique incredibilem sapientiam ac penè diuinam, tacitus nullo modo præterire possum. Vtroque genere eloquendi vtitur Orator: at nunquam alterum est videre, quin alterum quoque non sit admistum: nam vt vinum, aqua contemperatur, ne offendat, sic ista genera commiscentur inter se.

Quæ spectanda sunt in Elocutione.

IN *Elocutione spectantur genera dicendi, rebus & personis aptè verba accômodantia, suntq; præcipuè tria, Grande, Tenue, Intermedium, quæ ingeniorum dißimilitudo peperit. In his autem singulis, quicunque excelluerũt fuerunt magni, & in suo genere quidem laudandi: vt in graui Sulpitius, in tenui Cotta, in temperato Hortensius: sed eo tamen habentur imperfecti, quod illis optima rerum varietas defuit. Qui vero peræquè floruerunt in omnibus, tanquam perfecti quidem, sed pauci fuerunt. E Latinis nemo ante Cicer. fuit, Ex Græcis tamen Demosthenes erat. Ab Hermogene septem statuuntur genera dicendi, à Cic. in partitionibus quinque, Dilucidum,*

 dum,

dum, Breue, Probabile, Illustre, Suaue: quæ tamen referuntur ad illa tria: nec tam genera dicendi, quam potius lumina Orationis censenda sunt: tum quia splendorem afferunt Orationi, tum quia singula habent sua ornamenta.

Quæ spectanda sunt in singulis dicendi Generibus.

SVNT autem hæc quæ Orator videbit in singulis generibus, Sententiæ, Verba, Figuræ, Compositio, Periodi, & Numeri: vis enim dicendi è generis, aptare verba rebus: hoc est Sententiis et Figuris, tum rerum tum verborum, deinde compositionem periodos & numerum.

De Sententijs.

SEntentiæ hoc loco sunt quælibet cogitationes Orationi accommodatæ, quæ ad vitam atque mores hominum spectant, quæ sunt vel magnarum, vel paruarum, vel mediarum rerum. Magnæ sunt Diuinæ & humanæ. In Diuinis est religio, res cælestes, & opera Dei vniuersa, & quæcunque de Deo dici possunt. In humanis quæ de virtute, Repub. Bello, Pace, præclare gestis, & similibus dicuntur. Paruæ sunt vel paruarũ rerum: vt sunt paruæ descriptiones Raris, Montium, Pontium, Arborum, Locorum, Temporum, vel sunt paruarum controuersiarum: vt de stillicidijs &

cidijs & similibus. Mediæ sunt quæ ad mores ad vitam hominum pertinent. Item Sententiæ vel sunt Eticæ, vel Didacticæ, vel Pateticæ: primũ genus ad mores spectat, & valet ad conciliandum: postremum ad mouendum, medium ad docendum pertinet. Seruandum itaque erit in sententiis, vt Oratio pro rerum varietate varietur, ne vbique sui similis esse videatur, quod Lysiæ vitio versum est. Deinde vt sua quæuis sententia collocationem habeat, quam Hermogenes Methodum appellat: aliæ enim primo, aliæ secundo, aliæ vltimo loco poni debent.

De Verbis.

VErba sunt duplicia, simplicia & coniuncta. Simplicia vel propria sunt certa quasi vocabula, penè simul nata cum rebus ipsis, nullaque figura modificata: vt homo, bos, lapis, rus, ager. Ad ea referuntur addita ad nomen, quæ ab Aristot. Epitheta nominantur: adduntur enim ad nomen substantiuum, vel ornandi, vel significandi gratia, vt exoptatus pater, vigilantissimus pastor, obsequentissimus filius. Prisca quæ ab vsu quotidiano semota, inusitata, obsoleta, vetusta dicuntur: vt reor, autumo pro puto, effari pro enunccupare, sunt sanè Poetis magis quam Oratoribus concessa. Aliquando in Oratione habent dignitatem re-

tem in rebus grauibus, aut cum antiquis personis sermo attribuitur: vt Soboles, Prosapia, actutum, his tamen raro vtimur. Vel quæ nouamus & facimus. Vel quæ trãsferuntur, & quasi alieno in loco collocantur.

De Proprijs Verbis.

PROPria verba alia aliis consonantiora, alia grauiora, alia leuiora, alia quodã modo nitidiora, alia rem maximè explanantia: vt informare planius quam instituere, deambulare quam incedere, oportunitas quam occasio: in his spectabit Orator, vt abiecta atque obsoleta fugiat, lectis atque illustribus vtatur, in quibus plenum quiddã & sonans inesse videatur: in hoc enim verborum genere, delectus est quidam habendus, atque is aurium quoddam iudicio ponderandus, in quo consuetudo bene loquendi valet plurimum.

Consonantia autem sunt verba, quæ sonum habent aptum, & præsentibus rebus accommodatũ: quæ enim res sunt grauiores consonantioribus verbis sunt efferendæ. Porro superlatiua scias sonantiora esse suis primitiuis, vt Iucundissimus quam iucundior. Pluralia singularibus, vt authoritates patronorum, quam authoritas patroni, scelera quam scelus. Verbalia nominibus: vt dominator quam dominus, regnator quam Rex.

Compo-

Composita suis simplicibus: vt consceleratus, constuprare, quam sceleratus, stuprare. Polysyllaba iis quæ paucioribus constant syllabis: vt moderatio animi, quam modestia, tempestas quam tẽpus. Quæ longis constant syllabis sonantiora sunt iis, quæ breuibus: vt quanquam, quam licet, princeps quam primus, Princeps amplißimi ordinis quam primus in Senatu. Vocales & consonantes aliæ sonantiorem aliis efficiunt Orationem, Ex vocalibus sunt, a, & o, vt, implicatum quam implicitum, enarrare quam dicere. V, & i, cum quibusdam literis sonant acutius, e vero leniter & intermedio sono. Ex consonantibus vero consonantiores sunt semiuocales mutis, aspiratæ tenuioribus, vt Phalaris quam Fabius.
Grauia verba sunt, quæ magnam vim habent in significandis rebus, idque vel bonitatis, vt charitas quam amor, charitas est erga inferiores, amor erga pares. Magnificentia quam liberalitas, pietas quam amor, Vel vitij, vt parricida quam homicida. Vel earum quæ nocendi vim habent: vt trucidare quam occidere, exterminare quam eiicere. Vel earum quæ prosunt, vt seruator patriæ, quam ciuis bonus, sustentare patriam quam nutrire, informare quam instituere. Vel quæ vim festinationemque explanant, vt erumpit quam exit, exilit quam egreditur, fugit quam abit: &

alia id genus rebus aptanda. Fiunt autem grauia verba, vel inflexione, vt ex scelerato inflexum est sceleratissimum. Vel delectu partium sub eodem genere comprehensarum: vt sub scelerato continetur, parricida, sacrilegus, latro, fur. Vel similitudine ex diuersis formis electa, vt belua, pestis, fax, Vel explicatione siue periodo, vt Obieci me pro Repub. non grauiter, fac periodũ, meum caput, meam vitam, salutem, pro vestris religionibus, vestris focis, obicci furori crudelissimorum hominum, multò grauius dices.

Lenia sunt verba quæ soni lenioris sunt, & vim remissiorem in significando habent: vt lumen lenius est, quam lux, molestus quam atrox, cedere aut occidere lenius est quam iugulare, comedere quam vorare, timere quam pertimescere. Hæc contraria sunt duris.

Nitida sunt, quæ in Oratione maiorem habent splendorem, & auribus magis arrident, nulliusq; rei turpis significationem habent: vt boues pro vaccis, sus pro porco minus humilia sunt: nec Orator vsurpabit Epigrammaticorum pudenda verba, & Satyricorum, sed pro decoro nitidiora inueniet. His verborum generibus contraria sunt consonantibus exilia & absona, vt exiguus mus, grauibus humilia, & minus rem explanãtia, lenioribus dura, nitidis inquinata.

De inno-

De Innouatis Verbis.

INnouata verba sunt, quæ ab Oratore gignuntur, & fiunt ex propriis, tum significandi, tum ornandi causa, contra vulgi consuetudinem: vt homuntio, vrbanus, subaggrestis, subrusticus. horum quædam á scriptoribus inuenta & innouata, & vsu vulgaria facta sunt, quædam intermissione obsoleta. Innouantur autem & fiunt verba, similitudine, imitatione, inflexione, adiunctione verborum. Similitudinem Græci Analogiam vocant, & innouantur verba ea, cum ad similitudinem aliorum effinguntur: vt cum virum sapientem vocamus lumen Reipub, Ciuẽ seditiosum, pestem patriæ, curam & solicitudinem, scrupulum, latrare Oratorem pro dicere.

Imitatio est, quando exemplum aliquod, aut rei naturam in effigendo verbo imitamur, vel lingua vel sono. Linguæ est, cum vel nostram linguam, vel alienã imitamur: vt dicimus matricida, sororicida, sicut parricida, somnolẽtia, sicut violentia, dormiturio, lecturio: sicut parturio. Imitatio soni est, cum verba fingimus pro qualitate soni eius rei, quam debet exprimere, vt bombalio, sic clangor tubarum, murmur, stridor, sibillus, bombarda. INFLEXIO est quando verbum simplex modicè inflectendo ac deriuando, siue

do, siue ex Græca siue ex Latina lingua innouamus: vt à bibo bibosus, à beato beatus, à igne ignesco, à nesciendo nescitia, à credo credibile, à toga togatus, à Roma Romanus. ADIVNCTIO est duorum aut plurium verborum compositio: vt curuiceruicum pecus, soliuagæ feræ, nemoriuagus aper, veliuolum mare, aræ thuricremæ, grandiloquus. Item huiusmodi composita collusores, compransores, contubernales.

Quid obseruandum est de Innouatis Verbis.

VT cautè, nec nimium audacter, sed iis modicè, præsertim cum simus veluti inquilini in lingua Latina vtamur: Si enim Germani velint innouare nostram Polonam linguam, aut Poloni Germanorum, multa absurda sequerentur. Suis autem & in sua lingua permittebant grauissimi authores, si res nouæ fiant: præcipiuntque nouis rebus inuentis, quærere an poßit aliquod verbum huiusmodi reperiri apud grauißimos viros, quo poßint illæ res repræsentari: vt non multo antè tempore bombardæ nomen inuentum est, sic Euangelij, Baptismatis. Quærendum itaque est, num similes res apud auctores fuerant. Quod si non poterimus simile inuenire, vtamur Periphrasi, & circumscriptione, vel loco ipsorum Græcis purio-

eis purioribus, quod fecisse constat Ciceronem, Poßibile, dinaton, impoßibile adinaton, condolentiam vocat Symphatiam, condolentem Symphatos, exceßiuum hiperbolicum. At si destituti fuerimus tum Latinis tum Græcis verbis, confugiamus ad ipsas præmunitiones (vt ita dicam, vt nostri vocant) veniamque precemur.

De ijs quæ transferuntur.

Verba quæ transferuntur, alia neceßitas genuit, inopia coacta: vt gemminare vites dicimus, lætas segetes, luxuriem in herbis, equitare in arundine, os impeditum: alia iucunditas delectatioq; celebrauit: vt inhorrescit mare, feruet æstu pelagus, eloquentiæ flumen, flos ætatis, sylua rerum: quæ vel gignit Orator ac facit, aut facta ab alio noua vsurpat: quæ quia arte facta sunt, non sponte loquentium, separantur à propriis. Transferuntur autem verba, translatione. denominatione, abusione, obscuratione, quæ sub vno genere translationis vel abusionis (nam à proprio vocabulo in omnibus discedimus, & aliud non proprium pro eo ponimus) comprehenduntur. Item Pronominatione, & Circuitione.

De Translatione seu Metaphora.

Translatio est verbi proprij, siue natiui, ad

rem aliam accommodatio propter similitudinem. vt Cic. splendorem qui est propriè solis & syderum, Imperio Romano accommodat.

Sex sunt spectanda in Metaphora.

C*Ausæ Metaphoræ, Genera Metaphorarum, res à quibus sumuntur Metaphoræ, Modi quibus sit Metaphora, virtutes & vitia, vsus ad extremum Metaphoræ. Causæ autem Metaphorarũ necessitas nata ex inopia propriorum verborum: vt agros sitire, durus vel asper homo. Delectatio & ornatus, vt lumen Orationis, claritas generis, tempestas & procellæ contionum. Item significatio maior hoc est Emphasis, vt incensus ira, inflammatus cupiditate, lapsus imprudentia vel errore, expleri inimicitias: satiare crudelitatẽ. Vltimo verecundia vel decorum, vt mulierum aliquarum ludum habere, hoc est impudicarum mulierum gregem fouere.*

Sunt autem Genera Metaphoræ duo.

Audax & longius: vt fex Ciuitatis, pro sordidis hominibus, sic tenebræ Reipub. pro confusione.

Alterum moderatius, & é proximo ductum: vt ardeo pro cupio.

Res autem à quibus sumuntur Metaphoræ, aut sunt, aut intelliguntur, hoc est, aut sensibus obiectæ, aut animo tantum. Quæ sensibus obiectæ sunt, aut

ſunt, aut ſunt animatæ aut inanimatæ. Porro cæteris illuſtriores illæ, quæ ſunt & quæ videntur, quam quæ intelliguntur: vt ſi quem appellare velis Charybdim patrimonij ſatius eſt voraginẽ, nam Charybdis fictum eſt à Poetis.

Fit autem Metaphora. Primum à ſenſu ad animum, vt videre, odorare, aſſequi pro intelligere, extremis digitis & primoribus attingere labris, guſtare literas.

Secundo à bruto ad hominem, & contra: vt allatrare aliquem, pro conuiciari, cornicare vel garire pro loqui, canis pro impudico, vulpecula pro aſtuto homine, & Virgilius apes vocat magnanimes duces.

Tertio ab animato ad inanimatum, & contra: vt vertex montis, flos ætatis, adoleſcentia, lumen Reipub. lætæ ſegetes.

Quarto ab animali ad animal: vt paſcere apes, quod eſt pecorum, ceruos inequitare, ſic Terſites pro homine turpi.

Quinto à rebus vtrinque inanimatis, vt ſyluam ſcatere, barbam syluesſcere.

Virtutes Metaphoræ ſunt hæc, Commodata ſimilitudo ſeu proportio, vt videre eſt oculorum, animaduertere mentis: per tranſlationem tamen dicuntur Reciprocè, ſic pro gubernatore auriga, pro auriga gubernator dicitur, & mare profundum, cœ-

dum, cœlum altum, per translationem Reciprocè dicuntur. Quædam ad alteram tantum partem ducuntur, vt horrere est corporis, timere animi: translatè horret ad animum transfertur: sed timor ad corpus minime, sic vertex capitis ac mōtis, at cacumen non nisi montis est.

Est altera virtus suauitas, tum perspicuitas. Ad extremum sumptio ex his rebus, quæ sunt sensibus expositæ.

Vitia porro sunt hæc, Dißimilitudo, & nulla proportio, vt belli montes, campus pacis, patrimonij syrtes. Item turpitudo, vt stercus Reipub. castrata morte africani Respub. pro orbata. Vitiosa quoque est Metaphora nimium maior aut minor, vt Rex remi pro gubernatore nauis, tempestas commessationis. Minor est cum dicimus lacunia Neptunia pro mari. Metaphora namq; aut vacantem occupabit locum, aut si in alienū venit, plus valere eo debet quod expellit.

Vsus itaque Metaphoræ erit, efficere illustrem, apertam, dilucidam, suauem, & admirabilem Orationem: est enim hic tropus cæteris insignior, adhibeturque omnibus figuris, omnibus partibus Orationis, excepta diuisione.

De Denominatione seu Metonimia quæ & Hypalage nominatur.

Denomi-

DEnominatio est, cum ê rebus inter se propinquis & cognatis, quæ aliquam habent relationem, vocabula sumimus, quæ fit octo modis.

1. Cum inuentum pro re inuenta: vt Mars pro bello, Vulcanus pro igne, Bacchus pro vino. Vel contra cum res inuenta pro inuentore, vt apud Virg. ignis pro Vesta, sic fruges pro Cerere à Poetis sumitur, Vinum pro Baccho positum nondum comperimus.

2. Cum possesor, pro eo quod possidet, vt de sene gustauit, id est de pecunia senis. Terent. hunc tibi comedendum propino, hoc est eius bona deuoranda.

3. Cum continens pro eo quod continetur, vt armis Ecclesia non potest vinci, pro Catholicis, sæculum fœlix, spumans patera, pro ijs quæ iis cõtinentur: & campus pro Comitiis, curia ꝑ Senatu.

4. Cum causa efficiens ex effectu ostenditur, vt tristis senectus, pallida mors, vinum impudens vel audax.

5. Cum signum pro re signata, vt cedant arma togæ, concedant laurea linguæ, pro pace, toga ꝑ belli gloria ac triumpho, laurea sceptrum pro regno, arma pro bello, fasces pro imperio.

6. Cum opus pro ipso authore, cuius est ponitur, vt Cicero habendus est in manibus, pro opere Ciceronis

ceronis, Homerus tanti æstimatus ab Alexandro, vt scriniolum preciosum in præda Darij repertum, illius custodiæ dari iusserit.
7. Cum dux pro militibus, vt Scipio deleuit Carthaginem, Hannibal cæsus est, Pompeius Mitridatem vicit.
8. Cum virtutes vitia, pro his in quibus sunt: vt Ciuitate eiicere Poeticam pro Poetis, Luxuria pro Antonio, auaritia pro Verre, scelus pro scelerato, impudentia pro impudentibus.

De Abusione seu Catachresi.

Abusio est, cum alieno nomine in rebus appellandis vtimur. Quæ differt à Translatione; nam hæc fit vbi nomen non deest, translatio vero vbi deest.
Fit autem Abusio quatuor modis.
1. Notatione verbi alicuius, vt equum diuina Palladis arte ædificant, equitare in arundine.
2. Cum adiectiua non propriis substantiuis tribuuntur, vt longum consilium, cum magnum dicendum est, vires hominum breues sunt, cum paruæ dici debent, parua statua, cum breuis dicendum sit; nec oratio magna sed potius longa dicendum esset.
3. Cum coniunguntur verba cōtrariarum significationum, vt tenues opes, exiguæ copiæ, discors concordia. 4. Duri-

4. Durioribus Metaphoris, vt fideliter inseruire valetudini, dominari voluptatibus, luxuriari herbam, inhorrescit mare. Quidam non distinguunt hunc tropum á Metaphora.

De Obscuratione.

OBscuratio est quando aliquid obscurè et tectè significamus. Eius sunt tres species, Hypocorismos, Allegoria, Enigma.

Hypocorismos seu extenuatio aut diminutio est, quo rem propositam extenuamus, vt in mulierculæ animula iactura facta est. Fit autem duobus modis, verbis diminutiuis, vt homuncio pro homine, ocellus pro oculo, offensiuncula pro offensione. Et lenioribus vocabulis, vt error pro crimine, parsimonia pro auaritia, affabilis pro adulatore, tetigi pro percußi.

Allegoria est oratio, in qua aliud dicitur, aliud intelligitur: & hoc fit continua translatione: vt, si canes funguntur officio luporum, cuinam præsidio oues credemus, per canes Magistratus, per lupos Tyrannos, per oues plebem intellige: Sic sceleste ouem lupo commisisti, Asinus straneum mauult quam aurum, ignem gladione fodias, verba fiunt mortuo.

Enigma est obscura Allegoria, vt mater me genuit, eadem mox gignitur ex me, intellige aquam & glaciem. Dum vixit ludum, post mortem Magistros ha-

gistros habuit. Quod non capimus habemus. Homo non homo, videns non videns, percußit non percußit, auem non auem, lapide non lapide, sedentem non sedentem, super arborem non super arborem. Et, si comedisti liberos noli bibere matrem.

De Comprehensione seu Synechdoche.

SYnechdoche est cum ex parte totum significatur, aut contra. Eius quatuor sunt species.

1. *Membri, vt tecta parietes pro domo, mœnia pro vrbe.*
2. *Speciei, vt Catones, Lælios, Philippos, Decios pro Ciuibus sapientibus.*
3. *Integri, vt aut Ararim partes bibet, aut Germaniæ Tigrim, hoc est partem aliquam Araris, & Tigris bibet.*
4. *Generis, Cic. Sine dubio perdidimus hominem, magnificèque vicimus, pro Catilina.*

Pronominatio seu Antonomasia.

ANtonomasia est, quæ non proprio sed extraneo cognomine monstrat, id quod sub nomine appellari non potest: siue Orationis numerus, siue ornatus, siue Emphasis, siue carminis necessitas, illud postulat.

Modi eius sunt Sex.

1. Patronimicos: vt Æcides pro Achille, Dardanidæ pro Troianis, Isaacidæ pro Iudeis ab Isaaco.
2. Eorum quæ Periphrasi describuntur: vt Priameia virgo pro Cassandra, Atrei filius pro Menelao: & sub hoc modo comprehenduntur illa quæ personarum habent notationem vt 4. Æneid. Thalamo quæ fixa reliquit, pro Ænea, Senex pro Simone.
3. Patriorum siue Gentilium pro proprio nomine, vt Thyrinthius pro Hercule, Cyterea pro Venere, Corynthius pro Apolline.
4. Substantiuorum aut appellatiuorum, pro propriis, quæ studium, vel artem, vel dignitatem, vel officium emphasticè significant: vt Philosophus pro Aristotele, Poeta pro Virgilio, aut Homero, Rex pro Sigismundo.
5. Propriarum pro appellatiuis, quibus illorum aut affectio, aut proprietas inest, vt pro sapiente Socrates, Traso pro glorioso, Sardanapalus pro molli, Midas pro stulto & auaro, Timon pro Osore hominum, Thersites pro deformi, Cresus pro diuite, Verres pro fure.
6. Cum appellatiua gentium aut nationum attributis describuntur, vt Poenus pro fœdifrago, Cretensis pro mendaci, Sybirita pro luxurioso.
Sumuntur autem hæc omnia, vel ab internis bonis, quæ sunt animi, vt cor ciuitatis pro Scipione:

 vel cor-

vel corporis, vt Thersites pro deformi: vel externis, vt Cresus pro diuite. Tametsi Poetarum magis quã Oratorum hæc pronominatio esse videatur: tamen etiam Oratoribus est in vsu, vel cum laudant, vel cum vituperant, vel cum Orationẽ ornant. Tribus generibus causarum conuenit, sed præcipuè graui causæ, raro iudiciali, tametsi ab aliis non excludatur. Partibus confirmationi & confutationi.

De Nominatione seu Onomatopæia.

NOminatio est nominis confictio soni imitatione: vt rudere quod est Asinorum, vagire infantium, mugire boum, murmurare fluuiorum, sibilare serpentum: Hæc alia est imitationis, alia significationis. Imitationis est, cum illis vtimur verbis, quæ ex vocibus in vsum receptis, quocunque modo declinantur, cum scilicet de soni imitatione voces fiunt: vt murmurare, vagire, rudere &c. significationis est cum vocabulo vtimur translato, quo melius rem aliquam exprimamus: vt fragor à fractarum rerum sonitu dicitur, sic pro strepitu & tumultu accipitur. Eo igitur cum vtimur, significandæ rei causa vtimur, vt nimium exprimamus strepitum & tumultum. Hæc inter maximas à Græcis virtutes habetur: nobis vero, vel raro vel vix permittitur, ne noui verbi asi-

verbi aßiduitas odium pariat. Verum si vtemur ea commodè & raro, non modo non offendemus auditores nouitate, verum etiam Orationem exornabimus.

De Circuitione seu Periphrasi,

CIrcuitio est qua vtimur, cum id quod vno aut pluribus certè verbis dici potest, pluribus dicimus, cuius rei causæ sunt.

Prima neceßitas, cum aut turpitudo verbi obstat, aut nullum extat nomen.

Altera ornatus, cum res latius ostenditur: & hæc duplex est, personarum & rerum. Personarum, vt Poeta Mantuanus ꝓ Vergilio, bilis efferuescit, oculi rubent, pallet vultus, tremor membra occupat, pro irato. Cartaginis opes à Scipione fractæ, hoc est Carthago fracta. Fit etiam circuitio temporis, loci, Virgil. Tempus erat quo prima quies mortalibus ægris incipit, & dono Diuum gratißima serpit. Hîc descriptio noctis est. Circuitio ornatus causa frequentißimè fieri solet, Apud Oratores semper est adstrictior, Cum in vitium cadit Perisologia nominatur. Conuenit graui & mediocri generi dicendi: sed demonstratiuo præcipuè, in quo maior ornandæ Orationis cura simul & licentia est, quo ferè tantum delectare Orator quærit. His itaque Tropis mirabiliter e-

xornatur Oratio: sed ex omnibus nullus est floren tior, & qui plus luminis adferat Orationi, vt est Metaphora, cui Aristoteles omnes tropos subiicit.

DE FIGVRIS.

FIGVRÆ sunt formæ dicendi arte factæ, & à communi tractatione deflexæ, in quibus supellectilis Oratorum posita est. Hæ nascantur ex verborum coniunctione, & sunt duplices: aliæ sunt verborum, aliæ sententiarum.

FIGVRAE Verborum.

ANAPHORA. Repetitio, cum continenter ab vno atque eodem verbo, in rebus similibus & diuersis, principia sumuntur: vt tu in forum prodire, tu lucem prospicere, tu in horum conspectum venire conaris.

EPANALEPSIS, Quæ latine conduplicatio dicitur, quæ est eiusdem verbi cum aliquo interuallo repetitio: vt commotus non es cum tibi mater pedes amplexaretur, non es commotus. Fit etiam Epanalepsis rerum.

EPIZEVXIS, Geminata verba, eiusdē verbi sine interuallo repetitio: vt pro Rabirio vos vos inquam & Senatus frequens resistuit: aliquādo parentesis interponitur, geminatio tamen manet, pro

net, pro M. Marcel. At vero Gai Cæsar, eius gloriæ quam paulo antè et adeptus, socium habes neminem: totum hoc, quantumcunque est (quod certè maximum est) totum est inquam tuum.
EPISTROPHI & Epiphora, Conuersio, cum plures clausulæ eodē verbo terminantur: vt ex quo tempore concordia: de ciuitate sublata est, libertas sublata est, Respub. sublata est.
KINOTIS seu SIMPLOKI, Connexum, vel Complexio, quæ clausulas plures & eodem verbo inchoat et terminat: vt, quem Senatus damnauit, quem populus Romanus damnauit, quem omnium existimatio damnauit.
PROSAPODOSIS, Redditio, & Circulus Rhetoricus, vt Crescit amor numi, quantum ipsa pecunia crescit.
OMIOPTOTON, similiter cadens, qui in eosdem casus exit, vt hominem laudas egentem virtutis, abundantem fœlicitatis. Nec tantum hoc in fine deprehenditur, sed respondet vel in primis inter se, vel mediis, vel extremis, vel etiam permutatis iis, vt media primis, & summa mediis accommodentur.
OMIOTELEVTON, Similiter desinens, similes habens in verbis exitus. Hoc autem fit vel in postrema tantum Syllaba, vel in vltima & penultima & antepenultima, vt turpiter audes
 facere,

facere, nequiter studes dicere, viuis gloriosè: delinquis ambitiosè.

ANTITESIS, Contrarium, quod ex rebus duabus diuersis, alteram breuiter & facile confirmat: vt Nam quem in amicitia perfidiosè cognoueris: Eum quare putas inimicitias cum fide habere posse. Huc refertur & contentio ANTITETON, vt in pace bellum quæritas, in bello pacem. Nocte vigilas, die vero dormis.

ISOCOLON, exæquatum membris: Hoc autem duabus, aut pluribus sententiis breuibus & inter se paribus exigitur, ita vti hoc est, classem speciosissimam instruxit, exercitum pulcherrimum & fortissimum delegit. Addere etiam licet sociorum maximam & fidelissimam manū comparauit. Et longius eodem modo licet progredi, modo ne in fastidium incurras.

PARISON, propè æquatum, differt autem à superiore, quod ibi membrorum verba paria sunt numero, hic vno, vel altero addito, aut in superiore membro aut in postremo, pariter excurrunt, vt si hoc enuncies. Neque gratia & diuitiis locupletum corruptus, neque numis, nec denunciatione potentum perterritus, neque difficultatibus & magnitudine rei à proposita magnitudine deiectus. Hoc enim postremum pluribus verbis quā superiora enuntiatum membrum longius produxit, quod

xit, quod fieri & in primo potest: sed ibi opportunius: si quod longius erit cæteris, initio prænuntiatur: in posteriore autem si ad postremum producitur.

CLIMAX, Gradatio, quæ fit quoties ab eo quo sensus superior terminatur, inferior incipit, ac deinceps, & quasi per gradus, idem ordo seruatur: vt nam quæ spes libertatis manet, si illis et quod libet licet, & quod licet possunt, & quod possunt audent, & quod audent faciunt, & quod faciunt vobis molestum non est.

ASINDETON, dissolutum, quod sine coniunctionibus profertur: vt gere morem parenti, pare cognatis, obsequere amicis, obtempa legibus.

ANALITON, Articulus, qui singula verba cæsa oratione distinguit, vt acrimonia, voce, vultu, aduersarios perterruisti.

ZEVGMA, Est cum vnum verbum communiter multis sententiis iungitur, ad omnes pari significatione pertinens & adnexum, Latine hæc Figura dicitur ligatio vel adnexio: vt populus Romanus Numantiam deleuit, Carthaginem sustulit, Corinthum disiecit.

HYPOZEVXIS, est Figura superiori contraria, cum singulis rebus sententiisque, singula debita verba iunguntur, vt procumbunt piceæ, sonat icta securibus ilex, fraxineæque trabes cuneis,

 & fissi-

& fißile robur scinditur, aduoluunt ingentes montibus Ornos.

IRMVS, Conuenientia dicitur, quando series Orationis tenorem suum, vsque ad vltimum seruat, nulla videlicet alia vel causa, vel persona, mutata: vt principio cœlum, ac terram camposq; liquentes, lucentemque globum lunæ titoniaque astra, spiritus intus alit.

PARALEPSIS, quum dicimus nos præterire aut non scire id quod maximé dicimus, vt non dicam te semper turpißimè viuere, templa euertiße.

EPANORTOSIS, Correctio, quæ est duplex, vel cum vnum verbum corrigimus, & aliud significantius substituimus: vt ego omni officio, ac potius pietate, vel multa corrigimus, Est etiam interpellatoris correctio, vt nil me iste clamor commouet, sed consolatur, cum indicat quosdam Ciues imperitos, sed non multos.

PARONOMASIA, Agnominatio, quoties dictio pené similis ponitur in significatione diuersa. Fit autem aut addenda, aut demenda, aut mutanda, aut porrigenda, aut contrahenda litera aut syllaba: estque huiusmodi, non enim decet hominem genere nobilem, mobilem videri. Item, Demus operam Quirites, ne omnino patres conscripti circumscripti putentur. Non te Præ-

torem

torem sed prædonem dicimus.

METAGOGE, Cum idem verbum ad loca diuersa traducitur, oriturque ex coniugatis: vt eum tu hominem appellas, qui si fuisset homo, nunquã tam crudeliter vitam hominis petiisset. Hæc autem Figura fit, vel in eadem re manente eadem significatione, vt in prædicto exemplo: vel in re altera: idem enim verbum ponitur, modo in hac, modo in altera re: hoc modo. Cur eã rem tam studiose curas, quæ multas tibi dabit curas? Et veniam ad vos, si mihi Senatus dederit veniam. Hæc altera species traductionis, similis est Paronomasiæ, nisi quia hic seruantur eædem syllabæ, literæ & quantitas.

ANTIMETABOLE, Commutatio, quando contraria verba contrariis refringuntur: vt esse oportet vt viuas, non viuere vt edas.

ANACLASIS, Hæc fieri solet cum id quod ab altero dictum est, non in eam mentem quæ intelligitur, sed in aliam aut contrariam excipitur. Huius modi vulgare est illud Proculeianũ, Proculeius cum filium suum moneret & hortaretur audacter, vt ex bonis ipsius sumptum faceret, quas in res vellet, atque opus esset, nec tum denique speraret libertatem, licentiamque vtendi futuram, cum pater decessisset, cui viuo patre promisse omnia licerent: Filius respondit, se non esse

 opus,

opus, sæpè eadem oratione moneri, nec se patris mortem expectare. Cui Proculeius pater subiecit. Immo oro inquit, vt meam mortem expectes, nec properes moliri, vt velocius moriar. Plato interrogatus qui Respub. beata fieret, respondisse dicitur, Si aut qui sapiunt imperare, aut qui imperant sapere discant. Item Aristoteles dicitur dixisse, eius esse vitam beatissimam, cuius & fortunæ sapientia, & sapientiæ fortuna suppeditet.

ANTISTASIS, Est cum idem verbum repetitur in contrario sensu: vt, vna salus victis, nullam sperare salutem. Et, Ex illo Corydon, Corydon tempore est nobis. Hæc Latine dicitur intentio.

Sententiarum Figuræ.

HÆc differunt ab illis quæ sunt verborum in hoc, quod illæ verbis mutatis non manent manente sententia: hæ vero permanent, etiam si verba mutaueris.

HORISMOS, Definitio, quæ rei alicuius complectitur potestates absolutè. Definitionis etenim hæc lex est, vt nihil in ea desideretur: & cum definito conuertatur. Eam tamen non omnino breuem esse oportet: reprehendit enim Cic. in Orationibus breues definitiones lib. 2. de Oratore, quas scholasticas potius quam Oratoris censet esse.

Exemplum

Exemplum. Non est ista diligentia sed auaritia: eo quod diligentia est accurata conseruatio suorum, auaritia iniuriosa appetitio alienorum.
ITOPOIA, Notatio, qua sermones & mores alicuius describuntur. Hac vtitur in Pisonem & in Chrisogonem pro Sexto Roscio.
APHORISMOS vel Diorismos, descriptio rerum per reprehēsionem, quæ exprimit & corrigit vim sententiæ & potestatem. Quare potest videri species emendationis, nam quæ temeré dixeris reprehendit. Cic. Quanquam illa non pœna sed probibitio sceleris fuit. Aut alias, Ciues inquam si hoc nomine appellare fas est.
EPIDIXIS vel Energia, demonstratio, qua formam rerum & imaginem ita Oratione substituimus, vt lectoris oculis præsentiæque subiiciamus, vt Pila emittūt, sese vmbone contegunt, gladiis cominus certant, cædunt, inque vicem cæduntur, sanguine diffluunt, & Cic. deformat Milonem in Rheda sedentem, penulatum cum vxore. Item Clodium in equo & cum delectis villa egredientem.
ICON, Imago vitæ, naturæ imitatio: vt ibat in prælium corpore tauri validißimi, impetu leonis acerrimi similis. Sic os humerosque Deo similis.
CHARACTERISMOS est, per quam facies corporis describimus: vt erecta fronte, ludibundis

oculis.

oculis, aduncis naribus, sparso ore gestit. Hunc dico iudices breuem, incuruum, canum, subcrispum, cæsium, cui magna in mento cicatrix.

MIMESIS, qua gestum monstrantium describimus. Tale illud est apud Ouid. Epist. 10. Heroid. Hac ibat Simois, hic est segeia tellus. Hic steterat Priami Regia celsa senis. Illic Æacides, illic pendebat Vlixes. Hic alacer missos terruit Hector equos.

DATYPOSIS vel Hipotiposis, descripto. quæ rerum consequentiam perspicuam & dilucidam, cum grauitate continet expositionem, hoc modo, Si de hoc iudices grauem sententiam tuleritis, vno iudicio simul multos iugulaueritis: Grandis natu parens, cuius spes senectutis omnis, in huius adolescentia posita est, quare velit in vita manene non habebit: Filij parui priuati patris auxilio, ludibrio & despectui paternis inimicis erunt oppositi. Tota domus huius indigna concidet calamitate, inimici statim sanguinolenta palma, crudelissima victoria potiti insultabant in horum miserias, & superbia simul & verbis inuehentur.

PROSOPOPEIA, confirmatio, fictio personarum, cum muta quædam loquentia inducuntur: vt in Catil. Si mecum patria sic loquatur Marce Tuli quid agis? quæ tecum Catilina sic ait, & quodam modo tacitè loquitur.

Apostro-

APOSTROPHE, Auersio, quæ à ꝓposita quæstione abducit audientem, Cic. cum sæpè alias tum pro Roscio conuertit orationem ad Chrysogonum, ab illo loco Rogat ita rogatque te Chrysogone &c.

HOMEOSIS, Parabole vel similitudo, & collatio. Cum minus notam rem, per similitudinem quæ magis nota est demonstramus: quæ fit vel ornandi, vel probandi, vel apertius dicendi, vel ante oculos ponendi causa: vt, quales pecudes tale est hominum vulgus: nam vt illæ sequuntur quæ priores ierint, ita homines, receptos mores sequuntur, sine iudicio. Similitudo parum vtilis est Dialectico, sed Oratori maximè necessaria.

PARADIGMA, exemplum, estque non solum exornatio verum & Argumẽtatio, quia vt similitudo quoque adhibetur, & ad ornandum & ad probandum, Cic. in Top. coniungit simile cum exemplo, multum tamen differunt, nam similitudo ducitur à rebus inanimis, irrationalibus, & dissimilibus genere, exemplũ autem ex actionibus hominum præteritis sumitur: quod vel fabulosum vel verum esse solet. Fabulosum est pro lege Manil. Primum ex suo regno sic Mitridates profugit, vt ex eodẽ Ponto Medea illa quondam profugisse dicitur, quam prædicant in fuga fratris sui membra, in his locis qua se parens per-

sequeretur

sequeretur dißipauisse: vt eorum collectio dispersa, mœrorque patris celeritatem retardaret &c.

GNOMI, sententia, oratio sumpta de vita, quæ est vel cognitionis, quæ quid sit in vita indicat: vt virtus est vitium fugere, vel actionis, quæ qd fieri debeat ostendit: vt vitæ summa breuis, spem nos vetat inchoare longam.

APOPHONISMA, sententia responsiua, vt apud Cœlium fac velis perficies.

PROCATASCEVE, Præparatio, Cum rei de qua acturi sumus colorem præparamus, atque prætendimus, vt in illo. Anna soror quæ me suspensam insomnia terrent, Quæ bella exhausta canebat. Nam primo de insomniis quæsta est, demum mirari se virtutem hospitis dixit, & veram fidem esse, à Diis illum genus ducere, misereri etiam casus & errores: vt postea verecundius de amore fateretur: quasi in aspectum hospitis, vel insomniis, vel admiratiõe calamitatis, inducta sit.

EMPHASIS, significatio maior quam oratio, vt, Non licuit thalami expertem sine crimine vitam ducere more feræ. Hæc autem fit per exuperationem seu Hiperbole, ambiguum seu Amphibologiam, consequentiam, abscisionem, & similitudinem.

HARIENTISMVS, Hilaritas orationis, quæ extra risum etiam exhilarat orationem, vt

Prob Dij

Proh Dij immortales, tam ne incredibilis huius viri virtus fuit, vt toti Reipub. lumen adduxit.
AVXESIS, incrementum, cum grauioribus verbis insurgit increscitque Oratio: vt, Non furem, sed raptorem pudicitiæ: non sacrilegum, sed hostem sacrorum, religionumque: non sicarium, sed crudelissimum carnificem ciuium, sociorumq́; in vestrum iudicium adduximus.
LIPTOTE, Diminutio qua vtimur, cum arrogātiæ causa plus dicimus, & minus significamus. Omnis autem diminutio vel est in verbis, & Tapinosis & Hipocorismos dicitur: vt homūcio: vel in sententia, cum minus dicimus, plus intelligimus: vt pro meo iure patres dico me laborasse, & industria curasse, vt disciplinā militarem non in postremis tenerem, pro optimè. Appellatur Miosis.
DIALOGISMOS, Sermocinatio, cū alicuius personæ sermo attribuitur, isque exponitur cum ratione dignitatis: vt venit iste gladio succinctus, tenens iaculum, quemque adolescentes hominem simili ornatu subsequuntur, irrumpit in ædes subito, deinde magna voce, vbi est iste beatus ædium inquit dominus &c.
EPIMONI, Commoratio, quæ est duplex, vel cum vnam rem pluribus verbis exprimimus, & Sinonimia dicitur: vt expelletur, exterminabitur, reici-

tur, reicietur: vel plura membra ad eandem rem ponimus, & Commoratio dicitur: vt prædia mea tu poßides: ego aliena misericordia viuo: mea domus tibi patet, mihi clausa est: familia mea maximè vteris, ego seruum habeo nullum.

METASTASIS, cum à loquentis persona ad personam transitum facimus, ratione aliqua vel affectu, vt Non hæc Euandro de te promissa parenti discedens dederam. Deinde & nunc ille quidem spe multum captus inani, fors & vota facit. Deinde infœlix funus nati crudele videbis, Hi nostri reditus, expectatique Triumphi, Hæc mea magna fides. Ac nunc Euandre pudendis vulneribus pulsum aspicies. Hæc Figura dicitur variatio aut transitus. Fit etiam Metastasis cũ rem transmouemus in locum digniorem, aut magis profuturum dicenti: vitam Cæsar debes, si non tua causa, at Reipub. Tale illud pro Cornelio videri potest de ærario. Refertum inquit tribunitiis legibus, exhaustum à quibus sit, ipsi sciunt.

HYPERBOle, Superlatio, cum excedit veritatem sententia, vt qui candore niues anteirent, cursibus auras. Id autem accidit augendi minuendi uè causa: augendi, vt niue candidior: minuendi, vt Terrebit te sonitus folij volantis.

PARADOXON siue Hipomone, Sustentatio vel inopi-

vel inopinatum, quæ Figura suspendit sensum, deinde subiicit aliquid contra expectationem auditoris, siue magnum siue minus. Cic. pro Ligar. Hinc prohibitus: non ad Cæsarem ne iratus, non ad domum ne iners: non aliquam in regionem, ne condemnare causam illam, quam secutus esset videretur, &c.

DIASIRMOS, Eleuatio, qua grauiora in nos allata argumenta, quæ diluere difficile est, extollimus, elataque tandem contemnimus, minusque digna, quin ad ea vtpote nihil ad rem facientia respondeamus, ostendimus. Qualis est ille locus pro Muræna in Sulpitium totus de iure ciuili.

IRONIA, Simulatio, quæ contra ac dicitur, accipi ac sentiri vult. Vt nouum crimen G. Cæsar, & Heus bone vir: curasti probè.

SARCASMOS, irrisio, plena odio, vt apud Cic. Sexte noster, bona venia, quoniam Dialecticus es, & hoc quoque liguris. Et pro Celio. Quod facerem vehementius, nisi mihi intercederent inimicitiæ, cum istius mulieris viro: fratrem volui dicere, semper hic erro.

ASTISMOS, Vrbanitas orationis, quasi festiuitas: vt in Verr. execrabantur sacerdotem, qui tam nequam Verrem reliquisset.

METABASIS, Declinatio & digreßio. Hæc duobus modis fieri solet, ex quibus, vnum genus

est eiusmodi, cum ab eadem sententia quam proposuimus, conuertimur ad aliquam personam, aut rem, aut fortunam, & tanquam præsentem appellamus, vt Hæc mulier nuper fuit locuples, potens in amore, atque deliciis necessariorum, ornatus eius opibus abundabat, magnus Ancillarũ quæ sequebantur comitatus appellabatur: nunc contra subito & graui causa afflicta, vix mediocris ancillulæ dignitatem retinet. O Fortuna quam vehementer te rerum varietas oblectat, ô quam magno odio est tibi beatæ vitæ perpetuus & constans fructus. Alterum genus est, cum ad id, quod demonstrare instituimus, ab alia re & actionem & orationem nostram reuocamus. Vt, Sed nimium inopinans incidi in causam temporis huius alienam, de qua posterius dicendum. Quapropter ad illud quod paulo prius agendum, reuertor.

APOSIOPESIS, Reticentia, cum intra nos supprimimus ea, quæ dicturi videmur, quod aut turpia, au inuidiosa, aut alioqui nobis grauia dictu sunt: vt Demosthenicum illud proœmium, Non pari ego & aduersarius periculo ad iudicium venimus, sed mihi quidem: nolo autem quicquam initio dicendi ominosius proloqui. Interdum etiam vtimur hac Figura quasi ad alia properemus. Tale est Vergilianum illud, Quos ego, sed

ego, sed motos præstat componere fluctus.

EROTESIS, Interrogatio, quæ vel instandi, vel defendendi gratia sumitur, hoc pacto. Cum igitur hæc faceres, diceres, administrares. Vtrum animos sociorum ab Repub. remouebas & alienabas an non? & vtrum aliquem exorari oportuit, qui ista prohiberet ac fieri non sineret?

AETIOLOGIA, redditio causæ, quæ efficitur ratione breui, & sententiosa: vt etsi acerbum vobis, quod dicturus sum videbitur, tamen æquo animo audiendum est: nam ferè verum consilium, quod initio auditu graue est, in posterum cognita vtilitate fit iucundum.

APOPHASIS, Subiectio, & ad interrogata responsio, vbi quasi alio interrogante nobis ipsis respondemus, & rationem reddimus: Cice. pro Tullio, Si quis furem occiderit, iniuria occiderit. Quamobrem? quia constitutum nullum est, Quid si se telo defenderit, iniuria, quid ita? quia constitutum est. Cæsar pro Bithynis. Quid ergo? Syngraphæ non sunt, sed res aliena est. Et hactenus vbi nobis respondemus, aliàs, vbi aliis: quod nisi arte procedit, causam prodit, vt apud Vergilium interrogante altero, quod negare non poterat, subtiliter occurrit, ne furtum fecisse existimetur: An mihi cantando victus non redderet ille, quem mea carminibus meruisset fistula caprum. Et te-

ſtis interrogatus à reo, num fuſtibus vapulaſſet, innocens inquit. Aut cum dicitur, Quæro an occiderit hominem, & reſpondetur, latronem, vt confeßionem præcurrat defenſio.

PROCATALIPSIS, Hæc ſit, cum id quod aduerſarius arrepturus eſt, aut quæ obiecturus præſumimus ac præcidimus. Latine hæc Figura dicitur præceptio, vel anticipatio: vt illud Demoſthenis. Atque ego illum iudices arbitror Lycurgum Laudatorem producturum, ſcilicet qui ſit teſtis illius pudori, ac probitati, ſed ego Licurgum vobis præſentibus hoc vnum interrogabo, velit ne ſimilem eſſe illius factis, & moribus, quod ſi negarit, ſatis factum vobis eſſe de veritate noſtra debebit.

ANTHIPOPHORA, qua aduerſariorum nóbis ſententias ac dicta proponimus, ac ſubſtituimus, in hoc tantum, vt illis reſpondeamus: vt, Verum anceps pugnæ fuerat fortuna, fuiſſet, ſi periiſſe ſatis ſemel eſt, peccare fuiſſet ante ſatis. Latine dicitur oppoſitio vel obiectio.

ANASCEVE, deſtructio vel euacuatio, qua ab aduerſariis maxima propoſita deſtruimus, ac redarguimus velut falſa, vt, Nunc Liciæ ſortes, nunc & Ioue miſſus ab ipſo, Interpres Diûum fert horrida iuſſa per auras.

MERISMOS, diſtributio, Quum res, perſonæ, et negotia

negotia certa dispertiuntur, & suum cuique proprium tribuitur: vt, Quibus Reipub. honor curæ est, premia virtuti, pœnas sceleribus rependite. Item, cuius omnes corporis partes, ad nequitiam sunt aptissimæ, oculi ad petulantem lasciuiam, manus ad rapinam, venter ad auiditatem, virilis naturæ membra quæ non possumus honestè appellare, ad omne genus corruptelæ, pes ad fugam, prorsus vt aut ex hoc vitia, aut ipse ex vitiis ortus videatur.

PARADIASTOLE, discriminatio, Hæc duas aut plures res, quæ videntur vnam vim habere, disiungit, & quantum distent docet. suam cuique sententiam propriam subiungendo: vt Nam cum cæterorum opinionem fallere conaris, tu tete frustraris: non enim probas te pro astuto sapientem intelligi, pro confidente fortem, pro illiberali, diligentem rei familiaris, pro maleuolo seuerum: Nullum est enim vitium, quo virtutis laude gloriari possis. Hæc Figura illustrior fit, cum ratio proposito subiungitur: vt, Quapropter noto te sæpius parcum appellare, cum sis auarus. Nam qui parcus est, vtitur eo quod satis est: tu contra. Propter auariciam, quo plus habes, magis eges. Ita non tam diligentiæ fructus, quam inopiæ miseria te consequitur.

PAROMOLOGIA, Cum aliquot res aduersa-

rio concedimus, deinde aliquid inferimus, quod aut maius sit quam superiora, aut etiam omnia quæ posuimus infirmet, vt sume hoc ab iudicibus nostra voluntate neminem illi propiorem cognatum, quam te fuisse concedimus, officia tua nonnulla in illum extitisse, stipendia vos vna fecisse aliquandiu nemo negat, sed quid contra testamentum dicis, in quo scriptus hic est?

ALLÆOSIS, diuisio & separatio est personarū, aut etiam rerum demonstratio, quantum intersit, vt, Diuersa studia adolescentium animum aduerteramus, tametsi fratres erant vno atq; eodē sanguine orti, alter in studio laudis versabatur, & industria, virtutis vitam gloriosam, sed laboriosam sequebatur: alter in augenda pecunia occupatus, & habēdi cupiditate deprauatus, summas diuitias, summam virtutem existimabat. Hic nimirum minus erat laboriosus, qui laborem condendi non vtendi causa suscipiebat.

SYNÆCIOSIS, Hæc Figura docet, diuersas res coniungere, et communi opinioni cum ratione aduersari, & habet magnam vim, vel ex laude vitium, vel ex vitio laudem exprimendi: vt, Nā hominis auari atque asoti, vnum atque idem vitium est: vterque enim nescit vti, atque vtrique pecunia dedecori est. Quare merito vtrique pœna afficiuntur pari, quos pariter non decet habere.

Diano-

DIANOEA, Hæc Figura fit propriè, cum præponitur non hoc quod fieri oportet, sed quod fit. Tullius, Dolobella autem, quemadmodum homines nobiles decet, vlcisci iniuriam, fortißimè perseuerat. Verg. Furor arma ministrat.

PARASCEVIN, Præmunitio, hæc vel est verborum vel rerum, Verborum, vt pace tua dixerim, Rerum, vt videre decet in principio Oratoris apud Cic.

SINATRÆSmos, Frequentatio, Cum ea quæ per totam Orationem sparsa fuerant colligimus, & breuiter coaceruata in vnum locum dicimus, vt quo tandem abest iste vitio? quid est iudices cur velitis illum liberare? suæ pudicitiæ proditor, insidiator alienæ, cupidus, intemperans, petulans, superbus, impius, in parentes ingratus, in amicos infestus, in cognatos in superiores contumax: in æquos & pares fastidiosus, in inferiores crudelis, denique in omnes intollerabilis.

EPITROCHASMOS, Percursio, Hæc rursus Figura differt à Sinatræsmo, quod cum illa res diuersas plures in eundem locum conferat, Hæc distantia plura inter se percurrit, vt, si velis dicere Cæsar in Italiam euolarat, Confinium præsidio desertum cæperat, vrbe potiebatur, Pompeium persequebatur.

DICÆOLOGIA, Hæc fit cum æquitatem ca-

usæ q̃ maximè breui sententia complectimur vt. Quod si me reprehendis, cũ homo adolescẽs lapsus sim, vehementer erras, qui quid natura valeat ignoras, acerbusque & iniquus es, qui quod æqualiter omnibus putes ignoscendum, vni imputas: & in vno arbitraris iudicandum.

EXERGASIA, Expollitio, varia sententiæ repetitio, & nouum quoddam ædificium: & vt frequentatio condensat argumenta leuiora disperse tractata, ita hæc in grauißimis quoque moratur, & à leuioribus ea seperat, & maxima causæ firmamenta vrget, quibus comparatur victoria: estque iræ, dolori, commiserationi læticiæque apta: vt illud Vergil. Quem fata virum seruant, si vescitur aura Eherea, nec adhuc crudelibus occumbat vmbris. Et eodem Rex erat Æneas nobis, quo iustior alter, Nec pietate fuit, nec bello maior & armis, hoc est, qui iusticia, qui pietate, qui bello pollebat.

ANTICATIGORIA, Inuersio & Reiectio criminis, cum crimen in aduersarium reicimus.

ANANCÆON, quæ fit cum volumus ostendere neceßitudinem, aut naturæ, aut temporis, aut alicuius personæ. Vt, amicus meus fuit Chæremonides, & opinione omnium magis familiaris, & pro salute eius quæcunque potui feci: sed postea quam maior vis legis, nostrum auxilium

ciliū ab illius periculo remouit, calamitatis ac luctus eius particeps eram: nam opitulandi facultas, omnis erepta iam fuerat.

ANACOENOSIS, Communicatio, dum aduersarios consulimus, aut cum iudicibus deliberamus: vt, Si vos in eo loco essetis quid aliud feceritis.

ANTISAGOGE, Compensatio, vbi aliquid difficile & contrarium confitendum est, sed contra inicitur non minus firmum. Vt si dicas, magnus labor, multa pericula proponuntur: at gloria ex his immortalis est consecutura.

EPITROPE, Cum alicui rei vehementer confidimus, vel nostro iure iudicibus largimur, vt, quemadmodum videtur illis constituant, atque eis pareamus, vt, Sed ego iam iudices, summū ac legitimum quod exposui meæ causæ ius omitto, vobis quod æquißimum videatur vt constituatis permitto: non enim vereor, quin si nouum sit nobis instituendum, libenter id quod postulo præter vtilitatem communis consuetudinis sequamini, & Cic. in Catil. Quid expectas? proficiscere, nimium iam diu te imperatorem, illa tua castra Maniliana desiderant. Et Vergil. Æneid. 4. I, sequere Italiam ventis, pete Regna per vndas.

PARISIA, Licentia, contraria superiori, quum

apud eos quos vereri debemus, aliquid audacius proferimus, vt, quod omnibus ludibrio estis æquißimi patres non ab re censeo.
APORIA, Dubitatio, cũ simulamus quærere vnde incipiendum, quid potißimum dicendum, an omnino dicendum, Cumque artificialiter simulamus non res inuenire, non paratos venisse, Cic. in Verr. Quem? quem nam? recte admones, Polycletum esse dicebat. Et de domo sua apud pontifices, tibi literas ille misit? quas? aut nunquam misit, aut si misit, in contione recitari voluit. Itaque siue ille misit, siue tu protulisti, certe consilium tuum de honore Catonis nudatum est.
EPITOMESis, Obiurgatio, vt Cic. in Catil. Patere tua consilia nõ sentis. Interdũ etiam aduersarium iisdem verbis quibus ab eo laceßiti sumus percutimus.
AGANACTESIS, Indignatio, quæ fit maxime pronunciatione, Cic. pro Syl. Fero ego te Torquate iam dudum fero.
DIABOLE, Criminatio & quasi denunciatio eorum quæ futura sunt, Cic. pro Mil. Erit erit illud profecto tempus, & illucescet aliquando ille dies, cum tu salutaribus &c. Terent. Videre videor, iam illum diem, quo hinc egens profugiet aliquo militatum.

Tetrape-

TETRAPEVSIN, quæ moribus & vulneribus adhibetur, vt pro Cel. Detur aliquid ætati, sit adolescentia liberior.
EPIPHONIMA, Exclamatio: quæ vel indicat nostrum affectum, vel eundem alteri mouet. Hæc autem vel est admirationis, vel conquestionis. Admirationis ô scelus incredibile, & ante hoc tempus inauditum. Conquestionis, ô meam calamitosam ac præcipitem senectutem. Notabis quoque fieri sine particula exclamãdi: vt, Te ne alloquar Africane, cuius mortui quoque nomen, splendori ac decori est ciuitati: tui clarissimi nepotes, suo sanguine abluerunt inimicorum crudelitatem.
ARIA, Execratio, vt ô scelus ô portentum in vltimas terras exportandum.
EVHI, Optatio, vt vellem Dij immortales fecissent.
DEESIS, Obsecratio vel obtestatio, Cic. pro Deiot. Per dextram ipsam tuam ego obtestor, per ego has lachrimas.
ECETINOSIS, Supplicatio quæ fit Dijs. Exemplum Cic. in Catil. cum inuocat Iouem ad pœnam coniuratorum. Atque ita concludit, Æternis suplicijs viuos mortuosque mactabis.
PATOPÆIA, Hæc vel odio, vel iracundia, vel misericordia commouetur. Cic. pro Roscio.
Nemo e-

Nemo erat, qui non ardere illa omnia mallet, quam videre, in Sex Roscij bonis dominantem &c. apud eundem in Verr. Clamor interea fit tota domo, pugna inter seruos Rubrij, atque hospitis.
PROTROPE, Adhortatio ad aliquam rem, Cic. in Ver. 3. act. lib. Vos quo ad vestram famam Senatusque consulta pertinet iudices, prospicite atque consulite.

De Compositione, Quæ à Græcis Syntesis dicitur.

COmpositio est apta & continua moduli sui structura, in qua multum valet stylus, qui dicendi artifex est, is enim omnia facilia reddit.
In compositione spectatur consecutio, quæ puram, apertam, & iucundam efficit Orationem. Hæc consistit in puritate & collocatione. Puritas est Latinitas cum generibus, numeris, personis, casibus, non perturbatur Oratio. Hoc si fuerit in simplicibus, barbarismus efficietur, vt rheda pro vehiculo, in coniunctis Solæcismus: vt bona vinum, formosa poculum, sed hæc Grammatica consecutio. Rhetorica est, cum iisdem generibus, numeris, personis, casibus decurrit Oratio: quam quicquid perturbat, Anacoliton dicitur, Exemplum, vastabat agros, regionem populabatur, oppugnabat vrbes, multique mortales ab eo cædebantur.

bantur. Inepta consecutio, multo melior fuisset genere verbi retento, multosque mortales cædebat, ac trucidabat, & eodem numero retento, regiones populabatur non regionem. Eadem consecutio in collocatione consistit, quæ gratam & facilem reddit Orationem.

In compositione tria sunt vitanda. Primo, ne vocalis vocalem excipiat: vt Etsi ego omni officio ac potius pietate &c. Sic Baccæ Æneæ amenißimæ impendebant: Crebra enim vocalium cōcursio, vastam atque hiantem Orationem reddit. Et si quidam concursus tollerari ac dißimulari possunt, tamen vitiosum est, si a & e, a & o, collidātur. Odiosum stridorē s & x repetita reddūt, q̄ sibilum faciūt verberatis dentibus. Quanquam non sunt adeo sacrosanctæ leges, vt nulla ratione liceat eas violare. Immo interdum quod Cic. facit negligere oportet, ne Oratio nostra puerilem diligentiam redoleat. Vitandus quoque erit frequens concursus consonantium: hæ namque asperas voces efficiunt, ac plane offendunt aures, vt, Rex Xerxes strauit montes, O fortunatam natam me consule Romam. Sic, res paruæ crescunt concordia, magnæ dilabuntur discordia. Et rara Coronato plausêre theatra Menandro. Hæc odiosum efficiunt stridorem. Vel cum Monosyllaba coherent: vt lex est quam Rex vult. Obscuritas ad

tas ad extremum fugienda erit, quæ aut longa continuatione, aut confectione verborum fit, Vt Ad te perscriptas, Lucij misimus Æly. Vsus cōpositionis est, vt sententiæ lenius ac mollius ad aurem perferantur, quæ si inconditis & incompositis verbis feruntur, offendunt aures, quarum iudicium est superbissimum: repudiant enim qcquid incompositum & insuaue est, & quicquid in primo limine offendit, intus vt admittatur credibile non est.

De Periodis.

PEriodus est absoluta oratio, in qua nil desideratur, principium & finem habens, & eam magnitudinem, quæ facile perlustrari potest. Dicitur à Græco Periodemo, quod significat circum eo: sed circuitus nomen latissimè solet vsurpari. Medici etiam vocant febres periodicas, quæ certis diebus redeant: vt tertiana febris, & quartana. Partes Periodi sunt duæ, Principium & Finis. Principium est pars Periodi, quæ sententiam inchoat, atque proponit, hanc Græci Protasin vocant: vt Si extitisset in Rege fides, nil sapientius posthumo Finis est posterior pars periodi, quæ inchoatam & propositam sententiam absoluit: vt Quia fefellit, nihil hoc amentius esse dicitur. Hanc Græci Apodosin vocant, nostri reditionem

& reflexi

& reflexionem. Hæ autem duæ partes conficiuntur ex incisis & membris: iis quidem aut manifestis, aut virtute comprehensis, quæ absoluunt Periodum. Incisum est sensus, non expleto numero comprehensus: vt O Marce Druse, patrem appello. Huius quantitas ad 12 tempora assurgit, interdum vero ad vnum diminuitur. Græci Cōma vocant: iusta tamen eius magnitudo sex syllabarum: vt, Patri non placebat. Membrum est sensus numeris conclusus, sed à toto corpore abreptus, & per se nihil efficiens: vt O portentum in vltimas terras transferendum. Huius quātitas viginti quatuor temporum. Quanquam interdum plurium, interdum paucorum esse possit. Eius tamen iusta magnitudo putatur esse decem octo syllabarum, æstimaturque longitudine carminis Hæroici: vt, Et si vereor iudices, ne turpe sit pro fortissimo viro dicere incipientem timere. Quod si vltra decem octo syllabas extenditur, mēbrum illius Schinoton, hoc est productum & oblongum dicitur. Membrum differt ab Inciso: Membra enim sunt sensu & numero planiora, Incisa vero vtroque imperfectiora.

Obseruatio de Incisis & Membris.

SÆpè fit, vt Membrum Inciso non sit longius, & in-

us, & incisum non sit breuius membro, & quæ cum cæteris mixta inueniuntur, pro iisdem sunt habenda: hoc est vbi incisim aliquid dicitur, etiam si membra aliqua breuiora incidant, tamen pro incisis numerari debent. Si vero membratim aliquid dicitur, incisa pro membris metiri debemus.

Duo sunt genera Periodi.

Simplex & Compositum.

SImplex Periodus membro vno absoluitur, & Monocolos appellatur: vt neque enim cuiquam eius consilium vehementius, quam ipsi displicet. Et Catilina 3. Rempub. Quirites vitáque omnium vestrum &c. vsque ad illud videtis. Longiore ambitu sensus vnus circumducitur. Composita est, quæ vel duobus, vel tribus, vel quatuor, vel vt Latini volunt pluribus membris quam quatuor absoluitur.

Harum altera est vera periodus, altera periodicon similis periodo. Vera periodus est, quæ non excedit Tetracoliam, eius formæ sunt tres, Dicolos, Tricolos, & Tetracolos.

Periodus Dicolos constat duobus membris, vt Equidem ego regnum vobis trado firmum, si boni eritis: Sin mali imbecillum. Item, Ego te consilio, opibus, & sanguine iuui: tu me dolo, arte, & gladiis inuasisti. Hæc minima est periodus: ea enim

ea enim quæ simplex, hoc est vnius membri est, loco membri habetur.
Periodus Tricolos tribus membris constat, vt Sunt qui in rebus contrariis parum sibi constent: voluptatem seuerißimè contemnunt: in dolore sint molliores, gloriam negligant, frangantur infamia. Talis illa periodus Ciceronis pro domo sua. Cum multa pontifices à maioribus nostris, diuinitus inuenta atque instituta sunt: tum nihil præclarius, quam quod vos eosdem, & religionibus deorum immortalium, & summæ Reipublicæ, præesse voluerunt: vt amplißimi Ciues Rempub. bene gerendo, pontifices religiones sapienter interpretando, Rempub. conseruarent.
Periodus Tetracolos est, quæ absoluitur quatuor membris: vt, Non enim furem, sed raptorem: non adulterum, sed expugnatorem pudicitiæ: non sacrilegum, sed hostem sacrorum, religionumque: non siccarium, sed crudelißimum carnificem Ciuium, sociorumque, in vestrum iudicium adduximus.

ACCIDENTIA verarum Periodorum, Quatuor,

ISOCOLIA, MIVRIA, MACROCOLIA, ISOSCOLIA. *Isocolia est plurium membrorum connexio: vt in prælio pater mortem opetebat, Domi*

bet, Domi filius nuptias comparabat: hæc omnia graues casus ministrabant. Quæ ratio periodi placuit Aristoteli Latini vocant Compar. MIVRIA: est quando finis periodi, breuior est in principio, vt atque antea maiores copias alere poterat, hoc membrum est decem septem syllabarum: nunc exiguas vix alere potest, est vndecim syllabarum. Quæ ratio periodi placuit Hermogeni. MACROCOLIA: est, quando finis periodi longior est principio, vt vbi semel quis peierauerit: est decem syllabarum, ei credi postea etiam si per plures Deos iuret, non oportet. est viginti duarum. Quæ ratio periodi placuit Crasso, efficitque grauem orationem. ISOCOLIA, est, quando in periodo Tricolo, duo membra sunt paria, tertium vero impar, hoc est, aut est breuius, aut prolixius: siue sit primum, siue mediū, siue postremum: vt, plané confiteor fieri nihil posse dementius, quam scientem in eum locum venire, vbi libertatem sit perditurus.

Quid est Periodicon.

PERIODICON, est sententiæ comprehensio libera, neque adstricta ad certum numerum membrorum, quæ excedit Tetracoliam: quodcunque enim genus modum tetracoliæ non conseruat, illud Græcis non est vera periodus, sed periodicon.

Hoc au-

Hoc autem est duplex, verè periodicon, et pneuma. Verè periodicon est comprehensio non adstricta ad certum numerum membrorum: constans tamen iisdem partibus, Protasi & Apodosi, quale illud est principio 1. libri Officiorum apud Cic. PROTASIS est, Quanquam te Marce fili iam annum audientem Cratippum idque Athenis, abundare oportet præceptis, institutisque Philosophiæ, propter summam & doctoris authoritatem & vrbis, quorum alter te scientia augere potest, alter exemplis. Reditio tamen, vt ipse ad meam vtilitatem, cum Græcis sæpè Latina coniunxi, neque id in Philosophia solum, sed etiam in dicendi exercitatione feci, idem tibi censeo faciendum, vt par sis in vtriusque orationis facultate. Periodicon minutißimum est Pentacolon, hoc est quinque membrorum, moderatum quod sex aut septem membris absoluitur. Productius autem, & longius octo partium seu membrorum, eo quod vincit veram & perfectā periodum totidem membrorum numero: vt enim plenus numerus periodi consistit, intra tetracoliam, sic periodici perfectio á Rhetoribus intra octocoliam est conclusa Locum habet, in amplificationibus rerum grauium, in exordiis causarū magnarum. Pneuma est sententiæ comprehensio, facta pluribus membris & incisis, accommodata ad spiritum vocis Oratoris: vt multa geßit,

multa contraxit, magnas partes habuit publica-
norum, Credidit populis, in pluribus prouinciis
eius versata res est, dedit se etiam Regibus, huic
ipsi Alexandrino, grandem antea pecuniam cre-
didit. Hic non aperta est Protasis, & Apodo-
sis, sed vtraque coniuncta.

Differunt Periodus & Pneuma, Periodus fini-
tum habet numerum membrorum: aut enim v-
no, aut duobus, aut tribus, aut quatuor adsum-
mum, vt Græci volunt membris perficitur, Pneu-
ma vero, et si non sit infinitum sententia, non
est tamen certo numero membrorum obnoxium,
sed longißimo tractu & continuata serie proten
ditur. Pneuma & Periodicon differunt, Pneu-
ma non habet perfectam propositionem, & refle-
xionem, Periodicon vero habet.

Periodi hoc inter se discrimen habent, quod peri-
odus vel est cita, vel tarda. Cita est, cum ex vl-
timo verbo, cætera dependent: vt pro Rabirino.
Hoc ille natus quamuis patrem suum nunquam
viderat &c. Tarda vero est, cum ex primo mē-
bro aliquid dependet.

Virtutes Periodi sunt tres. Prima, vt perfectam
non inchoatam habeat sententiam. Altera est,
vt in ea sint distinctæ partes, quæ membra dicū-
tur, quo facilius ab audiente & legente, poßint
intelligi. Vltima est, ne longior sit, quam spiri-
tus dicentis patiatur.

Finis Periodorum est, dilucidam reddere orationem, quæ si fuerint prolixæ, impediunt intelligentiam.

De Numero.

NVMERVS est longarum, & breuium syllabarum, cum voluptate aurium collocatio: quæ ita plenam verborum connexionem reddat, vt in ea nihil desit, nihil redundet. Huius principium quemadmodum etiam in cæteris omnibus artibus, natura fecit, à natura enim habemus vt omnium vocum mensionem intelligamus, & iudicemus. Obseruatio autem prudentium, artem de numeris peperit. At qui numerum non sentiunt, asini sunt ad lyram, patulas habent aures: nec audiunt harmoniam, ac dulcem modulandi suauitatem, & in his nihil homini simile videtur, qui quod homini iucundissimum est, ne sentire quidem possunt, & immanes agresteśque aspernantur voluptates orationis: sed aures eruditæ, perfecto completoque verborum ambitu gaudēt: nam nec periodus poterit esse perfecta, quæ non sit numerosa, & Oratio sine numeris his vitiis scatet, quod fit immanis, non plena, incondita, inordinata, curta, claudicans, & redundans. Autor numerorum Trasimachus, quos Isocrates tēperauit. Sunt autem duo genera Numerorum, Poeticum & Oratorium, sed Poeticus est nimium

adstrictus, certoque numero pedum, & certis regionibus versum constituit: Oratorius vero est liberior, & nulla certa lege adstrictus.

Quibus Numeris potissimum in Oratione sit vtendum.

QVidam Iambicum Numerum Orationi conuenire maximè docuerunt, quod ei sit quam simillimus, Dactylicon vero minus. Eforius vero Pæonem, & Dactyllum probauit, Spondeum vero & Trochæum vitandos esse censuit. At illi ignari erant suauitatis, ij vero grauitatis. Aristoteles Heroum cuius nomen est, Dactylus, Spondeus, & Anapæstus: quoniam interuallis sunt sibi pares, probat, quibus adiungit Iambum, Trochæum, Pæonem. Ex his ille Pæonem maximè idoneum censet. Nos autem cum Cic. sentimus, permiscendos esse, & confundendos pedes in oratione: vel quia si iisdem pedibus vteremur, auditor animaduerteret accuratam compositionem: vel quia Oratio debet medium semper tenere, inter Poema, quod est nimis vinctum numeris, & vulgi sermonem, qui est nimium dissolutus: vel quia rerum varietati, varios adhiberi numeros conuenit.

Toto nè ambitu verborum sint obseruandi Numeri.

Plerique

PLerique consueuerunt tantum partes extremas obseruare, vt aptè numerosèque cadant: nec sine causâ, in fine enim maximè spectatur numerus, quia aures nostræ semper finem expectant. At nequaquam in isto sunt omnia: quamuis enim in fine Orationis, numeri sunt diligenter seruandi, non minus quoque & in principiis: tametsi præcipue & in extremis: medias tamen partes: etsi negligentius, aliquo vtique numero vincire oportet: et illa negligentia diligens esse debet: nec tam hoc erit difficile, si quis bona disciplina exercitatus fuerit: nam si multa conscribamus, vt Cytarœdorum manus, sic lingua nobis aliud agentibus, compositè feretur.

Qui sunt numeri apti initijs Orationum.

CIC. probat maxime Spondeum, Dactylũ, Anapæstum, Creticum siue Amphimacrum, qui in principiis periodorum ab eo vsurpantur: et præter eos quatuor sunt Pæones, eorũq; primus maximé. Itẽ Molosus, Trocheus, Scholius et Dohimus qui est compositus è Iambo & Cretico.

Qui sunt Numeri apti extremis Periodorum.

DICHOreus, seu Ditrocheus pes, apud Cic in

 fine fre-

fine frequens, Pæon quartus, Dactylus, Creticus, Dochimus, Spondeus præcedente Iambo, aut Choreo: vt censuerunt. Nunquam autem præcedente Dactylo: nam nihil tam vitiosum est, quam Orationem solutam, incidere in Poematicum versum. Quo in loco notabis quoque, longas ponere in fine periodi, consultius esse. Verumtamen quemadmodum à breuioribus in longiores nonnunquam insurgimus, ita à longioribus ad breuiores delabimur. Ex horum multiplici & varia connexione Oratoris Numerus existit. vt, O Marce Druse, patrem appello, Hæc quidem duo binis pedibus incisa: in priore est Dichoreus, in posteriore fere omnes longæ. Deinde membratim: tu dicere solebas, sacram esse Rempub. hæc duo membra ternis pedibus variata. In priore sunt Choreus, Pyrrhichius, Spondeus: in posteriore Choreus, Spondeus, Iambus. Quicunque eam violasset, ab omnibus ei pœnas esse persolutas. Hic tres Chorei continuati: nihil enim ad rem, extrema illa lõga sit, an breuis. Deinde patris dictum sapiens, temeritas filij comprobauit. Hic Iambus, sequitur Dichoreus. Quo talis clamor contionis est excitatus, vt admirabile esset, his sententiis non doctos homines, sed contiones, & tota theatra quæ vulgo & imperitis referta erant acclamasse, atq; applaudisse, quod Numero factum esse Cicero testatur.

Quomo-

Quomodo sunt obseruandi NVMERI.

SI *Pedes simplices sunt, non solum singuli debent obseruari, sed adiungendus est proximus superiori, sæpè etiam tertius. Sin vero compositi, soli obseruari possunt.*

Virtutes & Vitia Numeri.

N*Vmero aũt sentẽtiæ et verba illustrãtur: sententiæ enim absolutio fit à Numero: & is Oratoriè dicit, qui optimis sententiis verbisq; lectis vtitur. Et Numerus confert ad ornandam Orationem, is enim efficit ne tanquam flumen infinitè fluat, sed coacta Numero consistat Oratio. Addit etiam Numerus vim Orationi: ea enim quæ bene composita, aut disposita sunt, maiorem vim habent, quam soluta. Sed vitandum erit circa Numerum, ne accurata compositione in carmen incurramus: vitiosissimum enim inquit Cic. est in carmen incidere. vt, In qua me non inficior mediocriter esse versatum. Deinde ne pluribus syllabis, eiusdem quantitatis simul vtamur: plures enim longæ tardã Orationem, at breues præcipitem reddunt. Mistis autem & temperatis nihil erit venustius. Herocles & Menocles, Asiani Oratores, quos ipse Cicero audiuit, omnia eodem modo concludunt. Vltimo ne inserantur inania*

verba, quæ nihil sensum iuuent, quasi complementum numerorum, quo vitio notati sunt Asiatici Oratores, tum Græci Poetæ, atque imprimis ipse Homerus.

Quæ tenenda sunt, vt tribus dicendi generibus rectè accommodentur hæc quæ in singulis spectanda sunt.

SVNT autem duo præcipuè Oratori necessaria, magnum iudicium, & Decorum. Iudicet enim imprimis Orator, quid cuique opus sit: vt eo modo, quo quæque causa postulat, ornatè & copiosè possit dicere. Stylus enim & Character, fortunæ, ætati, honori, authoritati, loco, tempori, auditoribus, & quæstioni debet accommodari. Magni ergo iudicij, summæ etiam facultatis esse debet moderator ille, & quasi temperator huius tripartitæ varietatis. Moderator, qui pro modo rerum componat orationem, vt nec satura ieiunè, nec grandia minutè, nec item contra, quod omnium vitiorum longe peßimum, à Græcis Cacozelia appellatum est. Sed humilia submisse, mediocria temperate, magna grauiter dicat. Temperator, qui temperare atque miscere nouerit hanc varietatem. Quod si fuerit iudicij magni, iudicabit, quid cuique opus sit, cuius nulla ars condi potest, quo-

test: quoniam generum atque formarum sunt artes, non partium, quæ non semper eodem modo tractantur. Et cum multa sint causarum genera, quibus elocutio decens accommodanda est, de singulis autem præcipere facile non est, confugiendum erit ad Oratoris prudentiam, quæ tempora personasque moderatur, hoc est decorum obseruat, quod tempore personisque mutatur. In tempore locus intelligitur, sicut in personis ipsa res. Non est igitur eadem ratio dicendi in bello, in pace, in rebus prosperis, in aduersis, in foro, in Senatu, in contentione. Personarum quadripartita ratio mutat actionem, auditorum, aduersariorum, litigatorum nostrorum, & nostra qui dicimus: quibus omnibus decens accommodanda est Oratio, & eadem varianda: res enim satura & copiosa, copiosè, alta, magnificè, ieiuna siccè tenuiter dicantur, vt subtiliter de finibus regũdis, temperatè de ornandis ciuibus, atrociter de peculatu, & de cæteris causis: rebus enim par & æqualis oratio debet esse. Huc pertinent illa præcepta partium Orationis, principia siue exordia debent esse verecunda, quæ parcè vtuntur ornamentis, & supellectili Oratorum, nec intenduntur & augẽtur elatis verbis ac magnificis, sed potius locant sententias acutas, quasi animorum extimulatrices, vel ad conciliandum amorem, vel ad auertendũ

studium

ſtudium, quod aduerſarius velit mereri: ad hæc enim ferè comparantur exordia. Narrationes debent eſſe credibiles. Contra ineptæ ſunt fabuloſæ ac amantes, nec adfectent hiſtoricam obſcuritatem, ſed ferè quotidianum ſermonem, vt explicent rem dilucidè. In ſubtilibus cauſis, decet argumentandi tenue filum, hoc eſt gracilis ac macilenta dictio: tum noſtra confirmando, tum aduerſaria refellendo, quod ſi res ipſa cauſæq; dignitas, maior accreſcat, par ad elocutionem fiat acceßio. Iam increſcat quoque argumentandi filum, & grandior texatur oratio, quod aptè efficiet is qui rationem componendi adeptus erit. Exempla ſi quæres iſtorum optima, ſuggeret Cic. ipſius Oratio, pro Sex. Roſcio, in qua principium verecundum, & acutum. Narratio perquam dilucida, confirmatio & refutatio nunc tenuis, nunc paulo grandior pro rerum decoro. Quum vero cauſa ea inciderit, in qua vis eloquentiæ poßit exprimi, vt cauſa publica, latæ amplitudinis, magniq; momenti, qualis erat Auli Cluentij, tum ſe latius fundet, & extendet Orator: expatiabitur enim in vniuerſi generis quæſtione, quæ Theſis appellatur: tum reget & flectet animos in certis affectibus: non quidem vt ſimpliciter volet, (nec enim eloquentiam metimur euentu) ſed vt cauſarum, & perſonarum dignitas, & ratio temporis poſtu-

ris postulabit. Est igitur eloquentiæ vt reliquarum rerum fundamentum sapientia.

Forma subtilis generis.

SVbtile genus loquendi, quotidianam consuetudinem verbis ac sententiis imitatur: eius enim oratio non plurimum sanguinis habet, sucum tamen & aliquem humorem habet, quam oportet sententiis, & verbis subtilibus, nutriri. Figuræ huius generis sunt, non magnæ compositio negligentior: negligentia tamen hæc sit diligens quodam modo. Estque hoc genus liberum magna ex parte Periodis. Numerus quoque est hic liberior. Quod si verbis vtare grandioribus, & tracta numerorũ modulatione compleas sensus: maius altiusue conficies: si negligis verba & quicquid venit in bucam effundis, scopæ sunt dissolutæ, et arena sine calce. Quo vitio notati sunt Siculi authorẽ Gorgiã secuti, In hoc vitio totus ẽ Seneca, qui nunquam ferè colligat et claudat sententias. Vnde Caligula dicere solebat, Senecæ orationem esse, tanquam arenam sine calce. Octo pedes potissimum conueniunt huic generi, quorum ex simplicibus sunt quatuor, Iambus, Choreus, Tribrachus, Molosus. Ex compositis Diambus, Dichoreus, Antispastus, sed aliquando etiam Dactylus, & alij numeri huic generi conueniunt. Hoc genus spectant

nus spectant ioci, ac facetiæ, quibus festiuè describuntur hominum mores, vt moueatur hilaritas, vultu voceque adiuuante. Et quemadmodum sal & condimenta cibariis adsperguntur, ad palati voluptatem. Eadem quoque ratio facetiarum, modo ingenuæ, nec scuriles, nec semper, sed rarius, non in quemuis, sed personarum habita ratione. Nam cum Oratoris sit non docere modo, sed etiam mouere atque delectare. Delectationis non parum est in salibus, ac ridiculis, quæ in dicendo mirum, quantum valeant: amabiles enim mores, & acumen orationis ostendunt, tædium rerum grauium leuant, affectus aduersarij tristes eludunt, controuersias interim grauissimas, risu liberali dissoluunt.

Forma Temperati dicendi generis.

HOC medium genus vberius est et robustius, quam humile: submißius quam amplißimum: plenius quam graue. Hoc efficit carnosam quidem, sed non neruosam orationem, quia vehementia caret. Recipit latas & eruditas disputationes, ac locos communes, sed sine contentione & orationis & pronunciationis, sententias moratas quæ iucundam & amabilem orationem reddunt. Verba iam hic legenda sunt grauiora, translata, assumenda quoque ornamenta pulcherrima. Est

ma. Est enim hoc genus Orationis insigne, pictum & expolitum, in quo omnes verborum et sententiarum illigantur lepores, quibus suauitas adfertur Orationi. Non tamen admittenda sunt illa, quæ grauitati seruiunt: vt permißio, occupatio, subiectio, traductio, licentia, exclamatio. Verendum enim est ne euadat in illud acre, & ardens genus. Ampliores & longiores extendet periodos, quæ pariant elegantiam. Quarum hic est hæc ratio, vt potius illis, quam membris aut incisis oratio concludatur: membratim tamen interdum varietatis causa, nonnulla interserantur, quo intexenda Oratione, nihil aptius esse docet Cic. Omni numerorum genere temperatur: præcipue tamen vtitur ex simplicibus Dactylo, Spondeo, Anapesto, Scholio. Ex compositis vero, Dichoreo, Antispasto, Choriambo, Ionicisq; ambobus.

Forma grauis dicendi generis.

GRauitas in hoc genere spectatur, quæ in sententiis, verbis, figuris, compositione, numero, periodisque relucet. Vtetur igitur inprimis Orator sententiis magnis, grauißimis, quæ auditorem etiam moueant. vt illud, Degeneres animos, timor arguit. Heu quibus ille iactatus fatis, quæ bella exhausta canebat. Eiusmodi itaque sententiæ huic generi

ic generi accommodabuntur, quæ in amplificationibus seu commiserationibus tractari solent: quæ quia non solum docent, verum etiam flectunt, graues appellantur. Verba deliget Orator quam grauißima, quæ fiunt vel inflexione: vt optimus, sceleratißimus, quæ ab vno & scelerato reflexa sunt. Vel delectu, vt parricida, adulter, siccarius, sacrilegus, quæ omnia sub scelerato continentur. Vel similitudine, vt bellua, pestis: vel explicatione, sic humilis Oratio erit si dicas, Me pro Repub. obieci malis ciuibus. At grauis futura est circumscriptione, obieci meum caput pro vestris cæremoniis, atque templis, perditißimorum ciuium furori, atque terrori. Sonantia quoque Orator inquiret quæ aures implent: vt quæ futura suspicitis, impendentia pertimescite. Item Atrocia & tragica: vt in Vergil. Altaria ad ipsa trementem traxit, & in multo lapsantem sanguine nati. Item iuncta, vt pertimesco, conscleratus, horrificus. Item facta, vt perpetuitas, inceptio, locator. Item cognōmata, quæ & agnominata dicuntur consimili sono: vt incæptio est amentium haud amantium. Item Synonima: vt ne extinctor, ne proditor, ne hostis patriæ appelletur. Item non vulgata. Vulgatum est si dicas, De re tanta nemo potest mediocriter loqui. At non vulgatum, tanta rerum magnitudine, omnis inferi-

nis inferior esse videtur Oratio. Item hyperbolica, vt furit ad æthera clamor. Itē translata: vt habet fratrem, quam facem, Dij immortales, quod facinus quod scelus, quem gurgitem, quam voraginem. Item soluta, vt veni, vidi, vici, domus per scelus erepta, per latrocinium occupata, per religionis vim, sceleratius etiam exædificata. Præterea relata verba, iterata: duplicata, de quibus supra dictum est. Vltimo gradatim ascendentia, qualis est, Clymax vt facinus est vincire Ciuem Romanum, scelus verberare, parricidium necare, quid dicam in crucem tollere? Verba enim rebus respondere debent. Figuræ accersendæ eruntquæ redoleant grauitatem: vt sunt cōmoratio, frequentatio, demonstratio, expollitio, superlatio, conformatio, contentio, exclamatio, interrogatio, subiectio, deprecatio, supplicatio, optatio, execratio, cōminatio, interpellatoris correctio, & aliæ quæ grauitati seruiunt, Compositionem nimis accuratam, eamque magis asperam quam mollem hoc genus requirit, vt oratio magno cursu tanquam rapidum fulmen: magno sonitu, quasi torrens in prærupto aptè numerosèque feratur. Eius enim est tractare animos, & omni modo permouere. Hæc perfringit difficiliores aditus, & more fulminis omnia perrumpit, vt illa periclis qua dictus est tonare, corruscare, fulgurare,

gurare, & tanquam fulmine quodam videbatur perturbare animos auditorum, cunctaque miscere. Eadem leniter irrepit in sensus eorum, qui citius calidè falluntur, quam asperè concitantur. Inserit nouas opiniones, euellit insitas, vt de Censoribus pro Cluentio, de Stoicorum placitis pro Murena. Periodi adhibendæ erunt artificiosæ, sed quodammodo breuiores. Multa etiam cæsim & membratim dicenda erunt: vt acrimonia, asperitas, reique atrocitas exhibeatur: Periodus enim artificiosè contexta, elegantiam potius non acrimoniam & indignationem parit: nam quod in paruo magnam vim præsefert, acrius & vehementius est: breuitas siquidem acris, & imperiosa. Oratio autem verbosa supplicantem decet & postulantem. Ex pedibus, Pæanem huic generi Cæsar maximè conuenire docet, & eos pedes, qui sunt Pæani æquales: vt est Creticus, Bacchius, Palimbachius. Præterea ex cõpositis in hoc genere frequentes sunt Ionici, & Epitreti. Noueris tamen præcepta Rhetorum, non esse edicta prætorum, neque rogationibus plebisque scitis sancta: & hoc quicquid est, vtilitas excogitauit: tamen vtilitas causæ, persona, tempus, locus, et ratio plurimum commutat.

Obseruationes Grauis Generis.

Primo.

PRIMO. Grande Genus est longè difficilius, & periculosius aliis generibus: subtile enim genus & intermedium tutiora sunt, graue vero in lubrico versatur: illa diu patienter tollerare possumus, hoc si pergit in longum, vt insanum contemnimus. Illic Oratio est depressa, & in imo posita: vnde non licet graui casu, quasi ex alto gradu corruere: nihil enim eminet, sed omnia sermoni proxima sunt, quæ retinere facile est: & si quando titubes, est in proximo solum quo gradum stabilias: hic vero res arduæ sunt, quas si continuare non possis, aut non debeas, vident omnes vnde turpiter decidas: gradus enim altiores, casus duriores sequuntur. Hinc ridiculum fuêre mali Poetæ, qui positis aliquot versibus tumidis, ac sonantibus, in miseros quosdam versiculos, maiestate relicta decidebant. Hoc quoquè inepti faciunt in Oratione, principio verba affectata, ac sesquipedalia ferruminant: vbi deficit illa perrara materia, tum ad scopas illas dissolutas reuoluuntur. Tutius igitur tenere medium, si gradum summum firmare nequeas, aut si par nis in rebus non debeas. Nam si medium illud & temperatum satis instruxeris & rebus omnibus apparaueris vt quum voles & aptare, & continuare possis, non extimesces ancipites casus: non

ruinas periculosas, ad quæ rediguntur ij, qui illa summa retinere nesciunt.

SECVNDO. Summus Orator suam copiam, temperabit cum illis duobus: vt subtilia & minuta acutè dicat, & media temperatè: quod nisi faciet, non potest probari. Quod quia Vergilius fecit, multo fuit auribus gratior quam Lucanus, qui grauißimam Heroici carminis maiestatem, vbique resonare cupiebat. Quod si Homerus Poëtarum Græcorum facile princeps, Vergilius Latinorum summus, & Ennius ante Vergil. hanc varietatem seruant, Homerus breuem, cum animi iucunditate, & propriam, carentemque supuacuis eloquentiam Menelao dedit, quæ sunt virtutes illius generis primi. Et ex ore Nestoris, dixit dulciorem melle profluere sermonem: qua certe delectatione nihil fingi maius potest. Sed summa aggressus vt in Vlysse, facundiæ magnitudinem illi iunxit: cui orationem niuibus hybernis, & copiam verborum, atque impetum parem tribuit. Erit igitur Homerus ipse de se testis, non in vno genere semper constitisse. Alia est Achillis irati oratio, alia Nestoris consilium dantis. Vergilius imitator Homeri, non modo singulis libris singula genera vt Bucolicorum, infimum, Georgicorum floridum atque temperatum, Æneidorum grandiloquum, sed etiam cuique varia gene-

ria genera accommodat. Et penè totos Æneidorum libros habet aut tenues, vt Quintum, aut medios vt Sextum, aut graues vt Decimum: quanquam & in his est aliqua varietas pro conditione rerum. Sed hoc minus in Poetis mirandum videtur, qui si tanto nomine digni sunt, eo certe valent ingenio, atque afflati numine creduntur. Admirabilius est in actoribus fabularum, qui sic in suo genere perfecti sunt, qualem Cic. Roscium vidit: vt dissimilibus personis, mutato sermone ac actione satis faciant: vt in Regis, Patrisfamilias, militis, Lenonis, quod quidem facere non possent, nisi genus actionis immutaretur: quum non in suis personis versarentur, & iidem ipsi manerent. Hoc & Demosthenem in Oratione, qua accusat Æschinem expressisse videmus, in qua subtiliter tractat aliquot Epistolas atque decreta. Locus de Testibus est in genere temperato, Sunt & amplificationes graues, de proditione legati. Quid Cicero? an non gloriatur in Oratore suo, se primum fuisse Romæ, qui omnia dicendi genera æqualiter tractare cæperit, & eam dicendi varietatem ab adolescentia primus secutus fuerit? cuius rei testes sunt accusationes in Verrem, & Oratio pro Aulo Cluentio, pro Cornelio & aliæ pleræque. Age vero quam tranquillè in partitionibus, diuisionibus, in definiendis rebus, &

 verbis

verbis, in distinguendis rebus implicatis, in facetis narrationibus, in iaciendo ridiculo, Oratorem versari oporteat. Adde quod raro incipimus ex abrupto, & amplificatione vehementi, sed exordiis, & expositionibus, ante paramus aures, quam rem contentionibus inflammemus. Aliquid igitur in causa grauissima quietè tranquilleque dicendum est, quod qui non fecerit, is furere apud sanos, & nullo motu concitatos, et quasi inter sobrios qui causæ vim non attigerunt, bacchari temulentus videbitur.

TERTIO. Sciat Orator in medio cursu diuersum aliquid interponere, ne defatigatus iisdem rebus animus, à causa auertatur. Cum enim in omni re, tum præcipuè in Oratione satietas molesta est: quæ fit si toties idem, de eodem dicitur. Hæc in graui genere amplificationibus, Prosopopæiis, indignationibus tollitur. Exemplo est Catil. 1. Nunc te patria, quæ communis est omnium nostrum parens, odit ac metuit, quæ te cum Catilina sic agit, & quodam modo tacite loquitur. Nullum iam tot annos facinus extitit, nisi per te: nullum flagitium sine te, & reliqua. In reliquis vero duobus, hanc satietatem descriptionibus rerum, laudibus personarum, iocis & facetiis diffugimus.

De Actione seu Pronunciatione.

ACTIO est eloquendi comes, alteráque mentis quædam interpres: prius namque verba mens percipit quam tradit actioni. Cuius tanta vis est vt ei non dubitet Demosthenes Primas, Secundas, & Tertias tribuere. Nec iniuria. Quis enim sine hac ad Oratoris omni laude cumulati præstantiam accedere potuit, aut vnquam valuit? nam ita vt quisque audit, mouetur, & affectus omnes languescunt: nisi voce, vultu, & totius prope corporis habitu inardescant: fax enim quæ vult alios incēdere, necesse est ipsa ardeat. Hac porro mediocris Orator inter summos cōnumeratur. Hac Æschines, cum Orationem suam & Demosthenis Rhodiis legeret, incredibilem in omnium animis admirationem excitauit. Hac Gracchus etiam inimicos ad deplorandum casum fratris sui Tiberij Gracchi coegit. Hanc Græci Ipocrisin appellant, secundum quos nihil aliud erit, quam imitatio rerum atque actionum.

Actio secundum consensum omnium Rhetorum diuisa est in duas partes, vocem & corporis motum, quorum altera oculos, & vocatur actio, altera aures mouet, & pronunciatio appellatur. Per quos duos sensus omnes ad animū affectus penetrant. Nec dubium, quin dilucidam

orationem, illustrem, probabilem, & suauem, si fuerit decora, effectura sit.

Diuisio vocis.

VOx est triplex, Magna, firma, & mollis. Magna facit vt magna & clara voce dicamus, Hãc potißimũ efficit natura & cura, vt ambulatio, Veneris vini, frigidi potus abstinẽtia, facilis ciborum digestio, quam frugalitas præstat, præterea fauces integræ, hoc est molles ac lenes: quarum vitio & frangitur & obscuratur, & exaspe ratur & scinditur vox.

Firma vox, est constantia, per quam magnitudo continuatur, æquabili voce: & vt magna sic firma vox est à natura, quam adauget exercitatio, & eadem conseruat. Silentio enim subsidit vox, consuetudine firmatur, qua difficultas omnis leuatur. Genus autem exercitationis optimum ducit. Quintil. quod operis simillimum sit: & dicendum quotidie, sicut agimus. Cic. declamare præcipit, quod est exerceri in fictis thematibus, quæ proposita idem appellat.

Mollis vox est, qua efficitur vt variis differentiis vocis dicamus: vt alia acutè, alia grauiter, alia citè, alia tardè, alia clarè, alia submißè, alia temperatè. Cum autem sint tam multi vocum gradus, Orator per illos voce discurrere assue

scat: nihil

scat: nihil enim est magis odiosum, quam vox illa rigida, quæ vno modo semper sonat. At quis cantus moderatæ orationis pronunciationis muc-niri dulcior potest? Hũc aũt cantũ obscurum quẽdam esse decet, qui ex flexionibus vocis constat, quali Demosthenem, Æschinem vsos fuisse Cicer. in Oratore testatur. Vitabit autem in eo scenicam modulationem, & vlulans canticum. Asianorum, quos inclinata, vlulantique voce, solitos canere in Epilogis, Cicero dicit.

In Molli autem voce spectandum est, vt accõmodetur verbis, partibus orationis, & affectibus. Vox accommodatur verbis, cum ad singulas penè distinctiones respicimus, & quid contractè, qd submissè, quid plenius aut erectius sit dicendum videmus. Vox accommodatur partibus orationis, dum in principiis vtimur sedata voce, ad comparandam beneuolentiam apta: nam clamose initio dicere insanum est, & periculosum: & qui à clamore incipit fieri raucus solet: arteriæ enim subito incalescunt, & exasperantur, & mẽbrũ per quod spiritus transeat corrumpitur: & eo sæpius res deuenit, dum à contentione incipimus, turpiter desistamus in medio Orationis cursu. Aiax qui magis dicere nouerat, quam facere, apud Ouidium, à contentione incipit, vt ipsa statim indicat Oratio, Agimus prò Iupiter ante rates causam,

 & mecum

& mecum confertur Vlysses. Contraque leni & submissa voce, Vlysses vsus est. Si mea cum vestris valuissent vota Pelasgi: non foret ambiguus tanti certaminis hæres. Principia itaq; non oportet esse ardentia, immo in iis verecundia Oratoris relucere debet, in narratione voce æquali, in confirmatione & Refutatione concitata, & magna & alta, in perorationibus inflata.

Vox accommodatur affectibus, cum iracundia sumit vocem acutam, incitatam crebro incidentem, miseratio ac mæror vocem flexibilem, plenam, interruptam ac flebilem requirit. Metus demissam, hæsitantem & abiectam. Vis vocem cõtentam, vehementem, eminentem quadam incitatione grauitatis, voluptas effusam. Molestia sine commiseratione, graue quiddam & vno pressu ac sono obductum, vocis genus requirit. In blandiendo, rogando, lenis vox & submissa esse debet.

De motu corporis.

Motus corporis diuiditur, in Gestum & Vultum.

Præcepta de Gestu.

PRIMVM, Vt status sit rectus, ac celsus, hoc assequitur Orator, si non fuerit incuruus, vt rusticorum: non deiectus, vt verecundiæ puellaris: non contractus, vt scelerati metus, & pudoris: non pro-

non pronus & titubans, vt ineptorum & inconstantium.

SECVNDVM. Rarus sit incessus, nec ita longus. Proferat Orator pedem, ne statuæ more sit vinctus pedibus: sed perraro incedat, aut si quando licet: sit tamen breuis incessus, ne aut sui prorsus immemor, aut securus esse, aut deambulare videatur, Inde Flauius Virginius, de quodam suo Antisophista interrogauit, quot millia pasuum declamasset.

TERTIVM. Ne vlla sit mollicies ceruicum: est enim muliebre, ceruices vel in hanc, vel in illam partem inflectere.

QVARTVM. Ne vllæ digitorum sint argutiæ, hoc est, ne digitis obstrepat Orator, in eiiciendo & contemnendo.

QVINTVM. Ne ad numerum cadat articulus, hoc est, ne clausulis digito sugestum tangamus: is enim tibicinum est gestus, qui ad Rithmũ numerumque carminis articulos flectunt, & vincula membrorum.

SEXTVM. Vt trunco magis toto, quam singulis corporis partibus se ipse moderetur, & decenter gerat Orator.

SEPTIMVM. Vt virili laterum flexione, hoc est, quæ virum amplissimum deceat, se temperet.

Octauum

OCTAVVM. Brachium proiiciat, longeque promoueat in contentionibus: hoc est grauioribus, & locis & amplificationibus, quæ ardenter & vehementer instant, ideoque contentionis voce egent.

NONVM. Brachium admoueat corpori, in remißis Orationibus, quæ tranquilla voce dicuntur.

Quæ sunt vitanda in vultu.

IN *Vultu duo vitanda sunt, ineptum & vultuosum. Ineptum est quod aut personæ, aut rei, aut tempori, aut loco non conuenit. Vultuosum est inclinationis nimiæ, ac præter modum: vt si quis in tristitia nimis vultum contrahat, & in lætitia nimis exporrigat. Motum corporis sicut ambitiosè seruarunt Athenienses, tempore suæ libertatis: ita ambitiosius multo Roma captauit.*

De Memoria.

M*Emoria est eruditionis mater, eloquentiæ thesaurus, naturæ lumen, custos artium, diuinitatis argumentum. Hanc in vltimum locum seruauimus, vt custodem rerum, & verborum, & dispositionis.*

Adiumenta Memoriæ.

DVæ sunt causæ potißimum memoriæ, efficiens & adiuuans. Efficiens causa est, natura ipsa. Adiuuantes vero sunt, intelligentia rerum ediscendarum, imaginatio rerum similium, moderatio in somno, & victu, vigiliisque Scias vinum memoriæ mortem esse, vacuitas affectuum multum prodest memoriæ, & præcipua est, diligens exercitatio: memoria enim excolendo augetur. Cato enim ingenium hominis dicebat ferro esse simile, quod ex vsu splendescit, & in otio rubigine obducitur & exeditur. Et Quintil. Si quis vnam maximamque artem à me memoriæ quærat, Exercitatio est. Inde illud Pythagoreũ, Non prius in dulcem declines lumina somnum: quam ter præteriti reputaueris acta diei. Vt in rebus fieri consueuit ferè omnibus, in quibus ortũ, certus occasus consequitur: ita in doctrinæ nostro cursu tamdiu stylum mouimus, donec & metam superaremus, & pedem penè in carceribus constitueremus. Primo etenim atque altero Oratoriæ institutionis volumine delineato, ad postremum appulimus, metamque propositi nostri, Diis volentibus, tenuimus: neque enim vlla res in hac vita est, quæ diuturna sit atque perpetua. Atque vtinam lucubrationibus nostris iuuentutis nostræ studiis consulamus, quod certe speraremus, si hæc

Bibl. Jag.

mus, si hæc nostra consilia, suis commodis præscripta diligenti exercitatione velit confirmare.



FINIS.

Parta labore iuuant.



M. Daniel Sigonius Lelouien.

Vt res inuentas poßis disponere doctè,
Pulchraque Romano verba sonare modo:
Hæc celer inspicias moneo, quæ porrigit ille
Stezicius, pollens ingenio, arte, fide.